DE DOGMATIBVS ET RITIBVS VETERIS ECCLESIAE,

ADVERSVS HVIVS TEMPORIS HAERETICOS

EX IPSORVM FERE TESTIMONIIS Obseruationum

PARS ALTERA


STVDIO PAGANINI GAVDENTII
S. TH. DOCTORIS.



ROMAE, Apud Franciscum Corbelletum.
M D C X X V I.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISS. ET REV.MO
PRINCIPI,
AC DOMINO
D. FRANCISCO
S. R. E. CARD.
BARBERINO.



PAGANINVS GAVDENTIVS.



COMMODE accidit, vt ſub tuum ex Hiſpania reditum in lucem prodiret hic libellus. Cùm namque omnes ingenti lætitia perfuſi, Deo age-

rent gratias, qui te incolumem ſtitiſſet Italiæ; me nihil ab re facturum putaui, ſi in humillimo acceſſu veri affectus qualequale monumentum offerrem. Ea es ſacrarum rerum notitia, ita hæc ſtudia amplecteris, vt ſi quid ſuis numeris abſolutum à me poſſet proficiſci, Tibi, etſi priuatus eſſes, meritò commendandum foret: Nunc cum vndique in Republica Chriſtiana tua authoritas ſe conſpiciendam præbeat; & in duplici Legatione, datis tot inſignium virtutum argumentis, nominis fama Europam repleueris, audeo tamen te per inſignem humanitatem, qua vel infimos deuincis, ſubmiſsè rogare, ne ſuſcipere dedigneris hoc munuſculum, in quo vt reliqua omnia exilia ſint, ſpero tamen

men

men in eam partem ab æquis Lectoribus acceptum iri, vt primùm hinc agnoſcant deſiderium benè de Veritate merendi meum; intelligant deinde, conari me ea præſtare, quibus aliquas ſaltem vices rependam benignæ propenſioni, quam per magnam viciſsitudinem erga res meas ſemper ſeruaſti. Sunt flumina, quæ tranſeunt lacus non commixta: Tua voluntas eadem eſt nulla turbarum vicinia immutata. Eo nomine me ita tuo obſequio adſtrinxiſti, vt prius à meipſo diuelli me poſſe exiſtimem, quàm vt te perpetuo parendi ſtudio proſequi deſinam. Digniſsimus es, Cardinalis Ampliſsime, qui tranquillitate fruaris, vt de Pace celeberrimos triumphos ducere, & ramis oleæ

poſſis

possis decorus incedere; hinc Deum toto pectore supplex veneror, vt præclaris animi tui institutis faueat, & feliciter diuq. superstite Summo Pontifice, Tibi largiatur Ecclesiæ Catholicæ Maiestatem quammaximè augere. Dabam Romæ Idibus Octobris Anno MDCXXVI.



Im-

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sac. Pal. Apost.

A. Episc. Hierac. Vicesg.

Attentè, & libenter legi partem istam egregiarum obseruationum notissimi, & sapientis viri, cuius sollicitudinem pro S. D. E. & insignem cum pietate eruditionem, non suspicere & commendare non possum. Voueo, vt quamprimum quæ supersunt in lucem veniant, magnum vtique Christianæ Reipublicæ commodum allatura. Ita censui, mandante vt relegerem, Reuerendissimo S.P.A. Magistro. In S.Mariæ super Mineruam. I.Id.Iun. MDCXXVI.

Fr. Nicolaus Riccardius.

Imprimatur.

Fr. Antoninus Phœbeus Magist. & Reuerendiss. P. F. Nicolai Rodulfii Sacri Palatij Apostolici Magistri Socius, Ord. Præd.

Errata corrigenda.

Pag.	Lin.	Error.	Correctio.
4	20	Patri	Fratri.
6	8	quam	quem
13	16	Hos	Hoc
14	2	Isidorum	Isidorus
ead.	24	assentiunt	assentiuntur
18	4	væsauiam	uæsaniam
ead.	15	inuentarij antiqui	antiquus inueniatur
22	6	VitaK per	VVitaKer
ead.	9	verum	veterum
ead.	11	item in casu	tunc in usu
57	17	confectorum	confictorum
75	3	ebsonum.	absonum
83	9	decimumsextum	decimumquintum
91	15	domanda	domandam
94	19	lucrifugis	lucifugis
107	25	principium	principum
110	7	contractum	contractuum
114	12	extructum	extructæ
116	25	putabatque	putabat
126	22	appellant	appellans
127	18	nulli	nonnulli
ead.	24	perciperunt	perceperunt
136	18	actionem	vnctionem
151	2	seu	sed
1	2	*omittendum illud* : se	
32	6	*omittenda hac tria verba*; Homines detinere consueuerunt.	

Sunt nonnulla alia, quæ Lector ipse emendabit.

PAGANINI GAVDENTII S. THEOL. DOCT.

ADVERSVS HVIVS TEMPORIS HAERETICOS

Ex ipsorum ferè testimonijs obseruationum

PARS ALTERA.

De S. Scripturæ authoritate, vnde nobis de ea constet.


Caput I.

ANIMADVERTVNT probè Aduersarij, se si dixerint authoritatem S. Scripturæ diuinam, & cuiusuis eius libri ex testimonio Ecclesiæ tantùm, vel præcipuè innotescere, eò se adactum iri, vt fateantur Ecclesiæ authoritatem infallibilem esse, & hac in-

re tanquam certam veritatis iudicem susceptam, in alijs non posse reijci, & iudicio nostro subijci; ideo finxerunt, sed imprudenter, afflatu quodam Spiritus sancti, & manifestatione secreta suggeri Scripturam habere Deum authorem, huncq. vel illum librum eius, hocq. testimonium Spiritus sancti priuatum, & arcanum veluti suæ religionis præcipuum, imò vnicum, & solum solidum fundamentum magnificè ostentant, populo vt placeant quas fecerunt, fabulæ. Cùm verò nullus sit Nouatorum cõtraria è diametro contra seinuicem docentium, qui non iactet se habere Spiritum sanctum, & ab illo secretò de rebus fidei instrui, ideo antiquo Christianorum more si hæc lis sit finienda, cum Catholicis recurrendum fuerit ad Ecclesię, in qua sine dubio habitat Spiritus sanctus, propositionem, tanquam ad medium, sine quo fieri non possit, vt nouerimus, quid distent veri libri à suppositititijs, quinam Spiritus sit ex Deo, qui non, vbinam spiritus Dei, & veritatis spiret, vbi verò spiritus mendacij, vbinam Christus pascat in meridie. De more verò antiquo Christianorum in dignoscendis Scripturæ libris Canonicis ab Apocryphis, hæretici ipsi nobis ex S. Patribus suppeditant. Caluinus Instit. lib. 1. c. 8. sect. 9. in fine: *Certo certius est omnium Prophetarum, & Apostolorum*

scripta

scripta non aliter peruenisse ad posteros, quàm de manu in manum, vt ita loquar, perpetua annorum serie à Patribus tradita. Vides Lector, vt Caluinus fatetur non aliter quàm per traditionem Ecclesiasticam, tanquam diuinam suscepisse nos S.Scripturam. In Colloquio Ratisponensi, quod notatu dignissimum est, Patribus Societatis Iesu *concessum fuit à Protestantibus*, (Testatur Parçusdisp. 1.de auth.Scrip.thes.117.) *dogma de Canonicis Scripturis, vel tantùm, vel præcipuè ex testificatione Ecclesiæ haberi*. Hoc est quod volebant PP. Gretserus, & Tannerus, hoc est quod volumus nos. Dicent Caluiniani, à Lutheranis hoc fuisse concessum, sibi cum Lutheranis nihil rei esse. Respondeo. Cùm Caluiniani in hac controuersia idem sentiant aduersus Catholicos cum Lutheranis, quos etiam fratres, & membra eiusdem Ecclesiæ vocant, & in fundamento fidei non errare existimant, non possunt iure ipsorum testimonium reijcere.



Defenditur tanquam germanus Canon Africanus de Sacræ Scripturæ libris.

Caput II.

NOs Catholici ad asserendam authoritatem diuinam & Canonicam quorumdam librorum Sacræ Scripturæ, adducimus Canonem Concilij Carthaginensis, qui in Codice Canonum Ecclesiæ Africanę est 24. *item*, inquiunt Patres illi, *placuit, vt præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ &c. Salomonis libri quinque Tobias, Iudith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo* &c. Ad hunc Canonē Africanorum Patrum respondet Iohannes Rainoldus in suis thesibus de S.Scripturę, & Ecclesiæ authoritate, & earum Apologia, aitq; Canonem illum esse suppositi- tium. Hoc probare satagit ex verbis, quæ subjunguntur statim Canoni iam dicto: dicunt namque Patres: *Hoc etiam Patri, & consacerdoti nostro Bonifacio, vel alijs earum partium Episcopis pro confirmando isto Canone innotescat, quia à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.*

Nam

Nam Concilium Carthaginense Tertium, cui attribuitur iste Canon, fuit celebratum Cæsario, & Attico Coss. sed Bonifacius Pontifex Romanus 22. post annis vixit, anno scilicet Domini 419. videtur igitur esse falsum fuisse conditum eiusmodi Canonem tempore Bonifacij Papæ. Huic verò argumento aduersus authoritatem Canonis facile fuerit satisfacere ex ijs, quæ notat Christ. Iustellus in prçfatione ad Codicem Canonum Ecclesię Africanę. vbi p. 34. obseruat erratum fuisse in chronologia istorum Conciliorum Africanorum ab illorum Collectoribus. *Atque hæc*, inquit, *sunt Ecclesiæ Africanæ Concilia, quæ intra 419. annorum terminos leguntur habita: de quibus multa traduntur, & falsò, & præpostere, & confusè à Conciliorum collectoribus, qui imperitè & sine ordine miscent, quæ discernenda sunt, neque quicquam distinguunt, & credulum Lectorem sæpe fallunt. Qua de re viri docti iam olim questi sunt.* post nonnulla hęc scribit: *quod* (Collectores) *adijciunt Cæsario & Attico Coss. Concilium Carthaginense aliquod fuisse, quod tertium vocant minus repudio, quia Zonaras & Balsamo Græci Canonum Collectores id testantur, ipsaque quam nunc restituimus, Africana collectio indicat. Sed*, inquit, *falluntur, cùm illi Concilio adscribunt quinquaginta Cano-*

nes, quorum xxi. tantum ad illud pertinere reperiuntur: reliqui verò ferè omnes adſcribendi ſunt Concilio Carthaginenſi, quod xxij. poſt annis A.D.CCCCXIX. tempore Bonifacij P. R. habitum fuiſſe verba Canonis 47. euidenter arguunt, ipſaq. acta Synodalia teſtantur. Bonifacius enim Cæſario & Attico Coſs. nondum erat Epiſcopus, quam ſub Conſulatu Honorij XII. & Theodoſii VIII. A. D. CCCCXVIII. Calend. Ianuarij ordinatum fuiſſe conſtat. His animaduerſis euaneſcit obiectiuncula Rainoldi. Certum eſt Canonem illum de ſcripturis eſſe alicuius Concilij Africani, nam legitur in Codice Canonum Eccleſię Africanę, atque adeo fuit approbatus ab Afris Epiſcopis, quocunque demum tempore conditus fuerit. Largimur Rainoldo Canonem non eſſe Tertij Carthaginenſis, ſed hinc non propterea ſequitur eſſe ſuppoſititium, ſed tantum eſſe alterius Concilij, (quod veriſſimum eſt, & ratio probat) eius nempe quod habitum eſt anno 419. cum Bonifacius eſſet Pontifex Romanus, & hoc ipſum colligitur ex adiectione verborum illorum ad Canonem, quam ſuperius recitauimus.

Dilui-

Diluitur obiectio hæreticorum aduersus authoritatem quorumdam librorum veteris Testamenti. Cap. III.

PRæcipuum argumentum, quo mouentur Nouatores ad excludendos libros Machabæorum duos priores, librum Ecclesiastici, & nonnullos alios, qui hebraicè non habentur, est quia nonnulli ex Veteribus Scriptoribus Ecclesiasticis non recensuerunt inter libros Canonicos Sacræ Scripturæ, imò de ipsorũ authoritate diuina visi sunt dubitare, in eamq. inclinare sententiam, vt cum Hebræis eos solos velut à Deo profectos susciperent, qui primum hebraicè conscripti etiamnum in illa lingua legerentur. Sed hanc rationem nullius esse ponderis ad euertendam Canonicam authoritatem supra enumeratorum librorum, animaduertent facilè Aduersarij, si meminerint eorum, quæ solent adferre ipsi ad adstruendam authoritatem diuinam nonnullorum librorum Noui Testamenti, vt putà Apocalypsis, duarum Epistolarum posteriorum Sancti Iohannis, Epistolæ S. Iacobi, de quibus non ita etiam liquebat apud nonnullos Ve-

terum Canonici essent necne. Sufficere namque aiunt Nouatores, quod tandem totius Ecclesiæ consensu recepti fuerint. Hoc certè obseruant illi Geneuenses, qui Harmoniam confessionum ediderunt. Verba ipsorũ sunt: *Quamuis in Catalogo librorum Noui Testamenti nonnulli reperiantur, de quibus aliquando, apud quosdam Ecclesiæ Doctores antiquos dubitatum fuit, tamen tandem totius Ecclesiæ authoritate Catholicæ consensu illi quoque pro Canonicis sunt habiti & recepti. Itaque immeritò hodie reijcerentur propter quorundã dubitationem*. Si itaque ad excludendos libros, e.g. Epistolam S. Iacobi, Apocalypsim ex Canone non sufficit docentibus quidem ipsis Geneuensibus, quod aliqui olim de ipsis nonnihil hæsitauerint, iure meritò reprehendendi veniunt Aduersarij, quod huiusmodi potissimum argumento moti ex Catalogo librorum Canonicorum expunxerint libros Machabęorum, Iudith, aliosq. nonnullos, contra quos hunc syllogismum conficiunt: Illi soli libri sunt Canonici, de quorum authoritate diuina nullum fuit apud Veteres dubium.

Subsumunt: At de libris Machabęorum fuit dubitatum.

Inferunt libri Machabęorum non sunt Canonici.

Vicis-

Viciſſim ſubſumam ego : de libro Apocalypſis fuit olim dubitatum.

Vnde videretur inferendum : Liber igitur Apocalypſis non eſt Canonicus. Quam verò Geneuenſes adhibent reſponſionem ad diluendum poſterius argumentum contra authoritatem Apocalypſis, eam ipſam opponimus oppugnatoribus authoritatis diuinę librorum Machabęicorum, & aliquot aliorum. Si cupiunt admitti reſponſionem pro libro Apocalypſis, non dedignentur pati, vt nos illa ipſa vtamur pro defenſionę aliquot librorum Veteris Teſtamenti, qui tandem totius Eccleſiæ conſenſu recepti fuerunt, vtvt olim de ipſis ab aliquibus fuerit dubitatum.

Examinatur ſententia Nouatorum, qua ſtatuunt S. litteras in ſolo textu originali eſſe authenticas. Cap. IV.

IN ea ſunt ſententia Aduerſarij, vt doceant nullam tranſlationem eſſe omninò authenticam, ita vt quis illa tutò poſſit niti, reuocandam verò eſſe ſub examen, & conferendam cum

textu

textu originali, exque isto de illa iudicium ferendum; hunc enim solum esse indubitatæ fidei. Sed reijcula hæc sunt tum ob multas causas, cum præcipuè ob illam quod cum sensu Veterum Ecclesiæ Antistitum pugnet, quod discere est, vel ex Saluiani Massiliensis, sui temporis Ieremiæ verbis, quæ recitat ipse Ritterschus. qui ita scribit in Nouell. part. 1. c. 1. n. 27. *Obsignabimus hoc caput verbis Saluiani Massiliensis l. 5. de Gubernatione Dei c. 141. Nos tantùm Scripturas Sacras plenas, inuiolatas, integras habemus, qui eas vel in fonte suo bibimus, vel certè de purissimo fonte haustas per ministerium puræ translationis haurimus. Nos tantummodo benè legimus, atque vtinam quod benè legimus tam benè adimpleremus*. Hic videre possunt, si volunt Aduersarij duplici modo haberi, & legi S. litteras tanquam plenas, inuiolatas, integras, nempe, vel in fonte, vel de purissimo fonte per ministerium puræ translationis Saluianus certè nonnisi secundo modo poterat habere S. librorum codicem, cum ab ipso Græca & Hebræa linguæ ignorarentur, quantum quidem coniectura assequi possumus. Vt verò ad refellendum idem Aduersariorum paradoxum ab initio huius capitis relatum & hoc adijciam: Si Sacræ litteræ in solo textu originali essent authenticę, hinc aliud

non

non minus absurdum paradoxum sequeretur, nempe Ecclesiam Veterem, in qua sunt celebrata tot celeberrima Concilia non legisse diuinum instrumentum S. Scripturę, certum & non suspectę fidei, atque adeò non potuisse quicquam solidè, & plena animi sententia de rebus sacris, & controuersijs, quę tunc agitabantur, statuere. Hoc verò dicere, quàm ab omni ratione sit absonum, si non deprehendunt aduersarij, indignissimi profectò sunt rerum sacrarum tractatores. Id autem ex illo Aduersariorum effato consequi quilibet deprehendere potest. Quotus quisque enim Veterum tam Grecorum, quàm Latinorum hebraicè fuit doctus, si Origenem, Epiphanium, Hieronymum excipias? Acquieuerunt verò in translatione Septuaginta Interpretum ante Hieronymianam, qua etiam subsecutis temporibus Latini fuerunt contenti. At quomodo Ecclesia, quę est columna, & firmamentum veritatis perstitisset in fide Christi certa constantia, si Sacris litteris veris, & integris caruisset, & incertis tanquam liquidissima veritate nixa fuisset?



Resu-

Refutantur Nouatores, qui existimant textum Græcum Noui Testamenti esse omnino purum, & integrum. Cap. V.

NOuatores heretici vt detrahant versioni vulgatę Latinę, eamque pro lubitu suo emendent, versent nunc addendo, nunc adimendo, textum Græcum Noui Testamenti omnis erroris expertem, & omninò emendatissimum dicunt esse, adeo vt omnia omninò alia exemplaria ad illum debeant exigi, expendi, & vbi opus fuerit, corrigi. Hoc vt sępissime dicant Aduersarij, mox tamen sui obliti in ipsum textum Gręcum, propria crisi etiam absque ope & collatione variorum exmplarium audent incurrere, & non pauca corrigere. At si supradictus emendatissimus est, si omnis erroris exsors, quomodo non verentur illi imponere manus, non minus quàm Plauto, Ciceroni, alijsq. exoticis authoribus, & adhibita Critica aliqua refingere, & mutare? de more verò Criticorum ita scribit Casaubonus, vt eum defendat. Exercit. *1.* sect. 28. num. 80. *in Matthæi 16. vers. 17. & Iohan. 21. vers. 15. Vtrum sit legendum*

Bar-

Bar-Iona, an Bar-Ioanna, vetustissimi librorum Sacrorum Interpretes dubitarunt: nec dubitauit magnus Hieronymus scribere sic: Volunt Scriptorum vitio deprauatum, vt pro Bar-Iohanna, hoc est, filius Ioannis, Bar-Iona scriptum sit, vna detracta syllaba. Idem scribit & Isidorus Originum libro septimo. Idem Hieronymus Matth. 3. vers. 3. vocem ἠσαΐε *adulterinam pronunciat, & similes deprauationes se alibi obseruasse scribit: Hos, ait, nomen Esaiæ quæramus additum, scriptorum vitio, quod & in alijs locis probare possumus. In 16. c. Marci, quidam è veteribus integrum versum nonum induxerunt, vt refert Gregorius Nyssenus, in libro de resurrectione Christi altero. Idem Nyssenus vers. 2. illius capitis, vocem* ἔτι *præponit, quam è suis libris iam tum quidam sustulerant, neque extat hodie in nostris Codicibus. In posteriore ad Timoth. 4. vers. 10. lectionem quæ hodie obtinet,* γαλατίαν *Epiphanius reprehendit contra Anoetos, vt errore quorumdam introductam: ipse corrigit* γαλλίαν. *Matth. 27. vers. 52. Glycas historicus* αὐτῶν *emendat pro* αὐτοῦ: *quam emendationem sequitur Arabs interpres Lucæ 19. vers. 41. propter verbum* ἔκλαυσε *fleuit de Christo, versum illum totum sustulerunt olim orthodoxi quidam, inquit Epiphanius in Arcyroto p. 482. Tim. 4. vers. 3. pro* ἀπέχεσθαι *ab-*

stinere

stinere, ἀντέχεσθαι, *quod contrarium significat scribendum esse, Isidorum Pelusiota contendit probare, Epistola 112. libri quarti. Et est tota illa Epistola cum sequente, similium obseruationum, atque emendationum plena. Actorum 7. vers. 16. vt Stephani Prothomartyris orationem, cum historia Mosis conciliarent viri docti Eugubinus, Lippomanus, Masius, Exscriptorum fidem sibi esse suspectam indicarant. In voce Rempham eiusdem capitis vers. 43. mendam subesse pro Cheuam viri graues coniecturam faciunt. Actorum 13. vers. 20. & 1. Cor. 10. vers. 8. inextricabilium difficultatum causam in librariorum negligentiam reijcit Caietanus, cui viri doctissimi assentiunt. Matth. 1. vndecimum versum refingit totum Maldonatus, vt nascentia dubia è vulgata lectione soluat. Iohan. 18. vers. 1. scribitur à multis sæculis* πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν κέδρων. *fere tamen consentiunt eruditi, illud* τῶν, *pro* τοῦ, *esse à mala manu. Marc. 16. vers. 36. vulgatam editionem græcam esse corrigendam censet Iansenius.*

Græ-

Græci Codices Noui Testamenti non omninò sunt incorrupti. Possunt aliquando corrigi ex versione vulgata Latina Cap. VI.

HAeretici idem dicunt de Græcis, quod de Hebraicis Codicibus, eos scilicet omnis mendę esse expertes, & nunquam ex Latinis Codicibus, alijsq. corrigi posse. Hoc certè Veterum testimonijs facilè refutari potest, adductis ipsorum Nouatorũ obseruationibus 1. Cor. 15. Legendum est: primus homo de terra terrenus, secundus de cœlo coelestis, vt Caluinus ipse probat ex vulgata editione Inst. l. . . c. 7. §. 12. at Græci habent: ὁ δεύτερος ἄνθρωπος κύριος ἐξ οὐρανοῦ. audiamus in eum locum Erasmi verba: *Græci lectionem habent à nostra diuersam, idque constanter. Quanquam, vt ingenuè dicam, mihi magis probatur, quod in nostris Codicibus scriptum est: præsertim cum ita legant Hieronymus, & Ambrosius, & magis respondeat ad id, quod præcessit de terra terrestris, proinde arbitror* ὁ κύριος *adscriptum à studioso quodam quo voluerit reddere orationem explanatiorem.*

Rom. 12. vbi vulgata habet: *Domino seruientes,*

tes, Græci non habent κυρίῳ, sed καιρῷ. Beza tamen vertit *Domino seruientes*; additque in annotationibus: *Ita in probatissimis quibusque Codicibus vetustis, Græcisq. Scholijs. Sic legunt Chrys. & Theophyl. & ita citatur hic locus à Basilio in Ethicis definit. 68. & à Clemente. Erasmus tamen interpretatus est, tempori seruientes* καιρῷ δουλεύοντες. *omnino legendum esse puto* τῷ κυρίῳ, *& ab ijs corruptum esse locum, qui compendium illud scribendi* κῳ *putarunt* καιρῷ *declarare; idque eò verisimilius est, quod etiamnum hodie apud Basilium eo loco quem antea citaui, scriptum inuenitur.* Hunnius tamen existimat in primigenio textu legi καιρῷ, non κυρίῳ. Quomodo verò omnis mendæ expertem possunt dicere eum textum, de cuius primigenia lectione contendunt.

Hunnius in primigenio putat fuisse scriptum καιρῷ, Beza κυρίῳ. plus vna vera esse nequit lectio. In plurimis Gręcis Codicibus desunt integrę S. Scripturę partes, vt historia adulterę Ioh. 8 vltimum caput Marci, testimonium 1. Ioh. 5. Tres sunt, &c. Beza in Ioh. 8. notat ex 17. Roberti Stephani Codicibus vnum tantum habuisse historiam illam. idem ait testimonium 1. Ioh. 5. in multis Codicibus Gręcis deesse.

Nonnulla etiam irrepserunt absque ratione in Græcos Codices, vt illud: *Quia tuum est re-*

gnum

gnum &c. in quam Erasmus: *Hanc coronidem in omnibus Græcorũ exemplaribus adiectam comperio*, quoniam tuum est regnũ, *verum quando nec in vllis Latinorum exemplaribus adscriptum visitur, nec exponitur à Hieronymo, aut vllo prorsus Interpretum, præter Chrysostomum, & huius abbreuiatorem recentem Theophylactum, apparet ex solemni consuetudine sic additum, vt angelicæ salutationi, quædam adiecerunt, nec ab Angelo dicta, nec à quopiam alio.* Nam benedicta tu in mulieribus, *Elisabethæ verba sunt. Et;* Quia peperisti seruatorem animarum nostrarum *à nemine dictum est. Consimili studio adiectum est in fine Psalmorum;* Gloria Patri, *proinde non est, cur Laurentius Valla stomachetur bonam precationis Dominicæ partem fuisse decurtatam. Magis taxanda fuerat illorum temeritas, qui non veriti sunt, tam diuinæ precationi suas nugas assuere. Nugas enim iure dixerim ad diuinã doctrinam, quicquid ab hominibus profectum fuerit: præsertim si quod ab hominibus annexum sit, ad Christum auctorem conferatur.*

Etsi vero tantum Græcis codicibus tribuere se dicant Nouatores, adeo tamen aliquando illos paruifaciunt, vt eos corrigere audeant non ex alijs editionibus Syriaca e.g. aut Latina, sed ex profanis Authoribus Ita Beza corrigit S. Lu-

cæ Euangelium ex Iosepho Hebræo, qua de re iure cõqueritur Card. Baronius his verbis tom. 1. p. 39. *mirum in modum obstupuimus ad Nouatorum væsauiam, dum Iosepho Iudæo plus tribuunt quam Euangelio à Luca composito: quippe qui adeò irrefragabilem esse dicant illius historiam, vt potius quam velint Iosephum errasse, dicere non erubescant, textum Euangelij alteratũ, vel potius adulteratum, eaq. verba quibus dicitur*. Hęc descriptio facta est à pręside Syrię Cyrino, *non esse Euangelistæ, sed ociosi hæc scribentis in margine, eademq. inde irrepsisse in textum*, quos refutat Veterum authoritate. *Sed doceant*, inquit, *quando sine ijsdem verbis à patribus idẽ textus alicubi citatus reperiatur, vel si quis Græcus, aut Latinus codex inuentarij antiqui in quo prædicta verba desiderentur. At cum, vt & nunc habet textus semper à temporibus Apostolorum, atque in omnibus Christiani orbis Ecclesiis ea verba in Euangelio sint lecta, quæ tanta temeritas, & impudentia, vt ea velis expungi?*

De

De Vulgata versione Latina sacræ Scripturæ, per annos ferè mille sola in vsu à S. Patribus omnibus prælata. Cap. VII.

APud Hæreticos quidem huius temporis adhuc sub iudice lis est, & incertum quænam potissimum versio sacræ Scripturæ Latinæ sit omnibus præferenda, & in tractandis rebus Ecclesiasticis adhibenda: Vnusquisque suam, quàm vult obtrudere laudat; omnibus tamen constitutum est versionem Latinam veterem, Vulgatam dictam, authenticam esse negare, eiusque Authorem plurimorum errorum postulare. Illustrissimus, & nunquam satis laudatus Card. Bellarm. *l.* 2. *de V. D. cap.* 10. ad asserendam illius authoritatem duas insignes rationes affert, quibus dum respondere nituntur Aduersarij, non possunt non fateri, & antiquam esse, & per plurima sæcula in summo pretio fuisse apud omnes, vt hinc nobis colligere optimo iure liceat, non esse, quod illa posthabita nobis infelici labore, alias paremus. Adhæremus igitur etiam hac in re piæ Antiquitati, Nouatoribusq. varias relinquimus, & trium dierum ver-

ſiones. *Primum itaque argumentum*, inquit Bellarminus, *l. 2. de V. D. c. 10. pro authentica Verſionis Vulgatæ editione eſt Concilij Tridentini; ait enim eam à ſe probari Sacrorum librorum latinam editionem, quæ longo tot ſæculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt. Nec enim temerè per annos ferè mille h.e. à tempore B. Gregorij omnis Eccleſia Latina hac vna editione vſa eſt, omnes Concionatores hanc explanarunt, & populis propoſuerunt, omnia Concilia ex hac editione teſtimonia protulerunt ad confirmanda dogmata fidei*: Hunnius Lutheranus, qui diſputationes doctiſſimas vellicandas ſibi ſumpſit, reſpondet: *Ratio à tot ſæculorum vſu petita, hoc tantum euincit Eccleſiam Dei vtiliter ea editione eſſe vſam, cùm non extaret melior*. Fatetur itaque per tot ſęcula, annos nempe mille (hoc enim dixerat Cardinalis) omnem Eccleſiã Latinam ea vſum eſſe melioremq. non extitiſſe. Quomodo verò ſummę imprudentię, immò temeritatis notam effugiet is, qui ſpreto tot ſæculorum vſu, nouorum Interpretum eorumq. contrarijs frontibus inter ſe pugnantium ſectetur verſiones? *Secundum argumentum*, inquit Cardinalis, *ſumo ex teſtimonijs veterum, nam vel hæc noſtra verſio eſt Hieronymi, vel certè illa antiqua communis, quam Auguſtinus vocat Italam: ſi eſt illa*

antiqua, magnum testimonium habet ab August. lib. 2. de Doctr. Christiana, c. 15. vbi dicit eam omnibus esse præferendam: si autem est Hieronymi, habet testimonia omnium veterum, qui eam videre potuerunt Augustinus lib. 18. de C. D. cap. 43. Non defuit temporibus nostris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus; & trium linguarum peritissimus, qui ex Hebræo, in Latinum diuinas Scripturas vertit, cuius tantum litterarum laborē fatentur Hebræi esse veracem. Et epist. 10. ad Hieron. versionem, seu potius emendationem Testamenti Noui, omnibus probari. Item B. Gregorius l. 2. cap. 24. Moral. Quia, inquit, *hæc noua translatio ex Hebræo nobis eloquio cuncta nobis verius transtulisse perhibetur, credendum est, quicquid in ea dicitur, & oportet vt verba illius nostra expositio subtilius rimetur S. Isidorus l. 6. Etym. c. 5. Presbyter Hieronymus trium linguarū peritissimus, ex Hebræo in Latinum eloquiū diuinas Scripturas conuertit, eloquenterq. transfudit, cuius interpretatio meritò cæteris anteponitur, & l. 4. de Diuin. offic. c. 12. Cui subscribit Rabanus. l. 2. de Instit. Cleric. c. 54. Porrò qui deinceps secuti sunt Diuus Anselmus, Bernardus, Rupertus, Haymo, Hugo, Richardus, & omnes alij satis ostendunt, se hanc editionem præ cæteris probaße, cùm eam solùm explanandam susceperint.*

Adde etiam quod non solùm Latini hanc versionē probarunt, sed etiam Græci, quorū quidam diuina volumina à Hieronymo ex Hebræo in Latinum conuersa ipsi ex Latino in Græcum transfuderūt, vt D. Hieronymus testatur in l. de vir. Illustr. in Sophron. & l. 2. contra Ruff. Vitak*per* Caluinista fatetur Patres versionem illam laudare; Fr. Iunius affirmat *vera esse quæ Cardinalis in hoc argumento sumit.* Addit Hunnius: *testimonia verum hoc tantum volunt, quod Latina translatio vulgata sit cæteris anteferenda, quæ scilicet item in casu erant.* An hoc tātum voluerint nolo iam disquirere, hoc accipio ex verbis Hunnij, Illustriss. Cardinalem fideliter adduxisse Veterum testimonia, ex quibus licet colligere eos Doctores tanti eam fecisse, vt illam omnibus alijs prætulerint, quæ tunc extabant. Quod verò hoc tempore indocti Nouatores meliorem confecerint credat Vltebergēsis aliquis Saxo, nobis certè id nunquam persuadebit Hunnius, præsertim cùm inter Nouatores non pauci, qui alioqui alto supercilio omnia vetera despiciunt, id honoris adhuc deferant Vulgatę, vt nulli litē esse mouendā censeant, quia hac sola vtatur, nec necessarium esse putant aliam, præter istam in disputationibus, concionibus, lectionibus adhibere. Audi Lector verba Tigurinorum in præfat.

Biblio-

Bibliorum suorum : *Quibus hæc nostra displicet, ijs manet integra, & intacta Vetus vulgaris, & recepta illa sua, quam nos hac nostra minimè damnamus.* Sub finem : *Repetimus manere Veterem vulgatamque editionem admiratoribus integram atque intactam, legatur sane in scholis; canatur, citetur sola, nullus obstat.*

Ob aliqua errata per incuriam librariorum non desinere esse authenticam aliquam editionem sacrę Scripturę. Cap. VIII.

HAereticorum alij corruptissimam esse vulgatam versionem Latinam contendunt, alij multum quidem ei deferunt, sed tamen existimant inesse illi suos næuos; ac proinde negant authenticam esse posse. Illam enim editionem solam authenticam debere dici putant, quę omnibus omnino etiam minimis partibus sit integra, omniq. sphalmate careat. Ego hic de maxima integritate vulgatę versionis Latinæ nolo disputare, hoc tantum dico etiamsi adhuc haberet aliquas mendas ineptissimè inde inferri eam authenticam non esse.

Existimo namque mendas aliquas quę obrepserint incuria Scriptorum, Librariorum, Typographorū in Editionem aliquam Scripturæ non tollere quò minus sit authentica. Illæ enim mēdæ leuiores non tollunt quò minus Scriptura illa sit verbum Dei. Etsi enim sphalmata ipsa non sint verbum Dei, non adimunt tamen Lectori summā veritatis alicuius Catholicæ, neque ipsum præcipitem dabunt in errorem aliquem in dogmatibus fidei. At inquies, quilibet apex in scriptura, quælibet etiam minima scripturæ particula est diuinitus inspirata, & immediatè à Spiritu sancto suggesta Scriptoribus sacris, si igitur irrepat in Scripturā vel minimus error, & nęuus corrumpet verbum Dei, & reuelationem diuinam; at quomodo authentica erit illa editio, in qua aliquid continetur supposititium loco diuinæ reuelationis? lector namque legens dictum aliquod scripturæ, in quod mendum irrepsit decipitur: fertur enim fide Catholica, & diuina in apicem illum tanquam verum obiectū suæ fidei, tanquam diuinitus reuelatum, quod tamen est inuentum alicuius ignari librarij. Respondeo; primarium obiectum fidei sunt propositiones de articulis fidei, quæ habentur in traditione Ecclesiastica breuissimè, & clarissimè ita vt nullus posit decipi; in scripturis habentur obscu-

obſcuriùs, & diſperſæ,magnæ varietati,tricis,& ambagibus propheticis, hiſtoricis, allegoricis inuolutæ, quas quidem Lector prudens tractat, vt nimirum ad primarium ſcopum ſemper collimet,ad capita ſcilicet traditionis Eccleſiaſticæ, neque ſe adſtringat, vt neceſſariò credat quemlibet apicem eſſe verbū Dei poſitiuè, vt ſic loquar, ſufficit nāq. quod ſtatuat eſſe verbum Dei negatiuè id eſt, quod in illo nihil contineatur, quod primario illi obiecto ſit contrarium, cum Spiritus ſanctus ita temperauerit ſcripturas, vt conſtet quidem certò nobis illas eſſe verbum Dei in quadam latitudine conſtitutū, non tamen Lectores fideles adſtrinxerit ad vniuiuſque etiam minimi apicis particulam ſenſumque;ideò vbicūque aliquid occurrerit, cuius lectio, quod minus videatur rectè habere, aut repugnare ijs, quæ iam ex certiſſima, & indubitata reuelatione nota ſunt recurrendum erit ad piam, & ſacram Criſin qua non iniuriam faciemus reuelationi diuinæ; parati namque ſumus ſuſcipere in illa particula quicquid Spiritus ſanctus per illam nos voluit docere: cum verò ipſe indubitata, & clariſſima certitudine non voluerit conſtare, quid re uera ipſe per illam particulam voluerit ſignificare, ſed tantum probabiliter, & diuerſimode, ideò in genere ſu-

ſcipiam

ſcipiam dictum illud tanquam profectum à Spiritu ſancto, abſolutè, & ſumma cum certitudine, in ſpecie verò ſi alicuius dicti ſint variantes lectiones, & omnes probabiles, aut ſaltem non omnino abſurdæ, neque contrariæ dogmatibus fidei, alijsq; quæ iam nota ſunt ex alijs locis abſque vlla dubitatione; ſi etiam ſunt varij ſenſus itidem veriſimiles, aliquem ſuſcipiam cum conditione ſi ſcilicet Spiritus ſanctus illum intenderit. Neque neceſſarium fuit, vt ita temperaret Scripturas, vt nulla planè occurrente ambiguitate omnia clariſſimè, & indubitata certitudine occurrerent fidei noſtræ. Hæc eſt prima ratio, qua videor mihi probare, quod probandum ſuſceperam nimirum; Editionem Scripturæ ſacræ eſſe authenticam etiamſi habeat aliquas mendas. Addo ſecundam rationem. Si ob aliquos næuos editio aliqua ſcripturæ deſineret eſſe authentica, nullā habuiſſet editionem authenticā Eccleſia antiquiſſimis temporibus, quod dictu abſurdiſſimum eſt. Hoc verò ex illo ſuppoſito colligi facilè euincam. Antiquiſsima Eccleſia habebat editionem Hebręam, Gręcam ſeptuaginta Interpretum, Latinas verſiones ex vtraque; nouum teſtamentum Gręcum. At in his omnibus erant næui aliqui. Reſpondebis, & dices Hebræum textum fuiſſe

omnino

omnino incorruptum. Respondeo primò, editio Hebręa non erat in vsu in Ecclesia nisi per ministerium translationis,at idem est apud me hac quidem re non esse, & non esse in vsu. Quid enim proderat Ecclesię, si textus Hebręus esset incorruptus, sed non intelligeretur neque adhiberetur nisi forte ab vno atque altero. Dices, Ecclesia potuisset vti opera illius periti, & ita corrigere ex Hebræo versiones. Respondeo, quid si ille peritus linguę Hebręę fuisset prauis dogmatibus imbutus, voluissetq. Ecclesiam in aliqua lectione decipere, quid agendum fuisset? Certe ante S. Epiphanium & S. Hieronymum nullum potissimum legimus fuisse gnarum linguę hebrææ pręter Origenem, at is Arrianorum pater existimatus fuit, & blasphema nō pauca docuisse. Deinde eiusmodi interpres linguę Hebręę peritus potuisset decipi ipse in alterutra linguarum, ita redit illud, quod dixi. Secundo inter editionem 70. Interpretum, & Hebręam sunt nonnulla quæ sibi inuicem sunt contraria. At incertum poterat esse, quęnam potissimum lectio esset suscipienda. Dices, Gręca ad Hebręam erat examinanda, & ex ea corrigenda. Respondeo. Hoc bene diceretur si certum fuisset textum Hebręum habere, prout ab initio à sua origine confectus fuerat. At vnde hoc poterat esse certum?

Nam potuisset quis dicere textum Hebręum post factam versionem in linguam Gręcam passum aliquam mutationem, atque adeo illi pręferendum Gręcum, qui per doctissimos viros accuratissimè confectus fuerat ad exemplaria integerrima, & primigenię, & certissimę veritatis & lectionis. Vicissim Sanctus Hieronymus existimauit 70. Interpretes nihil pręter humanã scientiã, & diligentiam attulisse ad cõficiendam versionem ex Hebręo, atque adeò in aliquibus labi potuisse & lapsos fuisse, omnes etiam hodie fatentur versionem Septuaginta passam mutationem aliquam etiam ante D. Hieronymi tempora; & tamen notissimum est nullam aliam editionem scripturę fuisse in vsu; dicemusne tũc defuisse Ecclesię Catholicę authenticam editionem? Minimè. Pręterea quamcumque editionem mihi dederis Hebręam, Gręcam, exhibebo tibi illius varias lectiones in plurimis locis. Varias lectiones in veteri testamento annotant plurimas ipsi Nouatores, & alij etiam orthodoxi, & Catholici Interpretes. At plus vna vera esse nequit, certum enim est vno tantum modo non multiplici scripsisse diuinos Authores. In Gręco textu Noui testamenti itidem variè leguntur plurima loca. Sunt egregij viri qui loca illa propria crisi corrigunt, quibus scilicet

putant

putant irrepsisse mendas. S. Isidorus in eruditissima Epistola *l*. 4. *Ep*. 112. corrigit septem loca in Nouo testamento. Id facit Baronius. Id alij viri doctissimi; neque tamen negabunt ante correctionem illam, editionem fuisse authenticam.

Refertur, & refellitur absurda opinio nonnullorum ex Aduersarijs qui docent S. litteras nullo modo esse explicandas. Cap. IX.

NOnnulli ex Caluinianis eò dementiæ sunt progressi, vt dicant Scripturam non esse interpretandam, sufficere si quis eam legat, profiteaturq. se omnia certa fide suscipere, quæ de verbo ad verbum ibi extant, nunquam verò esse eousque progrediendum, vt vllo modo Scripturam explicemus, aut de illius explicatione cum quoquam contendamus. Sic putant posse finem imponi controuersijs, quę hoc tempore cum maxima contentione agitantur inter eos, qui ab Ecclesia Romana schismate sunt separati. Hanc sententiam ex Caluinianis prolixius proposuit,

posuit, conatusq. est probare in sua Declarat. Adolphus Venator. Et hunc modum agendi secutus Rex Britanniæ in Ep. ad Cardinalem Peronium non vult teneri ad credendum panem in SS. Eucharistia transmutari, & transubstantiari in corpus Domini, quia nempe S. Scriptura dicit: *Hoc est corpus meum* non verò: Hic panis transubstantiatur in corpus, & sanguinem Domini. Nec tamen omninò reijcit dogma Romanę Ecclesię de Transubstantiatione; sed putat non esse necesse deuenire ad vllum sensum verborum Christi. Quam verò sit absurda hæc opinio dicere nihil hic attinet. Hoc dico abhorrere eam à sensu Ecclesiasticorum scriptorum veterum, qui docent sæpissimè, & disertè scripturas præcipuè consistere in recto sensu, & explicatione, non autem in nudis verbis, medullã, inquam, quodammodo S. Codicis esse verum sensum, verba corticis instar se habere. Ita verò docuisse Veteres testis est Conr. Ritterschusius *p.* 1. *c.* 1. *n.* 15. in Nouell. Iustiniani. *De modo, inquit, legendi S. litteras præcipit, & optat Imperator c.* 2. *vt non solis attendatur litteris; sed res etiam ipsæ deguStentur, & sacratiores omninò, sensus percipiantur. Nam, vt D. Hieronymus scribit Comment. in Ep. ad Galat. cap.* 1. *Ne putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sen-*

in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis.

Hæretici calumniantes, errorē Origenis impingunt Catholicis in interpretandis Scripturis. Cap. X.

QVia nos Catholici pręter sensum litteralem dicimus admittendū etiam allegoricum, & tropologicum, eumq; non rarò adhibemus data occasione, hinc ansam calumniandi arripiunt Hęretici, aiuntq. nos in vanos sensus transformare Scripturas exemplo Origenis, qui ob huiusmodi aereas (vt sic dicā) scripturę explicationes explosus fuit, & reiectus tanquam ridiculus somniator à veteri Ecclesia. Sed profectò eiusmodi calumniatores aut nesciunt, aut nescire volunt cur Origenes à Veteribus hac etiam ex causa reiectus fuerit non simpliciter, & absolutè, eò quod in exponendis Scripturis aliquando eas explicaret allegoricè, alijsq. modis: sed quod ita vrgeret, & proponeret eiusmodi allegoricos sensus, vt negaret,

garet, & destrueret sensum Historicum, & litteralem, qui tñ est, & esse debet basis, & fundamẽtum, cui debent reliqui sensus superstrui, & quo destructo necesse est ruere omnem veritatem sacrarum litterarum, easque haberi instar nugarum homines detinere consueuerunt. Hac igitur de causa displicuit veteribus Origenes, quod historiam e. g. Creationis. Adam negaret esse veram, illamque traheret ad nescio quę somnia de productione animarum antequam quicquã aliud produceretur, earumq. in corpora detrusione ob peccatum commissum ante coniunctionem cum ipsis. Ad quem quidem modum explicandi scripturas abutabatur Origenes dicto illo S. Pauli *littera occidit, spiritus autem viuificat*; per litteram enim intelligebat sensum litteralem scripturę, per spiritum autem, allegoricum. Cęterum locum illum nihil ad rem Origenis facere ostendunt interpretes, qui in illum commentantur. Quod autem Veteres dum exploserunt Origenem, non propterea reiecerint nostros modos interpretandi Scripturas vel ex eo etiam liquet, quod S. patres ipsi multis in locis laudant eiusmodi sensus pręter litteralem, & frequenter admodum tum in Commentarijs in diuinas litteras, quàm in homilijs quas habuerunt ad populum Allego-
rias,

rias, Anagogias, & Tropologias, ita tamen vt non vnicuique Scripturæ loco eas adhiberent, supponerentque semper prius sensum litteralem tanquam fundamentum, cui innitèrentur reliqui. His igitur obseruatis in tenues auras euanescit calumnia Nouatorum, qua nos socios Origenis in transformandis scripturis facere conantur.

Expenditur pro traditionibus Apostolicis locus ex l. S. Basilij de Spiritu Sancto. Cap. XI.

HAeretici, qui nullum ritum in Ecclesia volunt admittere, nisi de illo S. litteræ testentur, fatentur tamen verisimile esse, aliquid huiusmodi ab Apostolis sine scripto traditum fuisse. Verba Chemnitij sunt ad sess. 4. Concil. Trident. *Verisimile*, inquit, *est ritus quosdam etiam alios externos, qui in Scriptura non sunt annotati, ab Apostolis traditos*. De ijs ait locutos S. Patres Molinæus part. 1. Scuti fidei, & tanquam traditiones Apostolicas com-

mendasse, remittitque lectorem ad l. de Spiritu sancto Basilij c. 27. Vtinam verò seriò inspicerent, legerentq. caput illud Nouatores, discerent sanè quanti sint faciendæ res Ecclesiasticæ, etiam si de ijs nihil sit in Scripturis cautum. *Dogmata*, inquit Magnus vir, *quæ in Ecclesia prædicantur quædam habemus è doctrina Scriptorum prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est in occulto tradita recepimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè, vel tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica*. Quibus verbis etiam SS.Concilium Tridentinum commendauit S. Traditionum authoritatem, quæ dum hæretici tam furiosè impugnāt, non tam patres Concilij, quàm Magnum Basilium impietatis postulant. Sed redeo ad caput illud 27. l. de Spiritu sancto. *Nam si*, inquit Basilius, *consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tamquam haud multum habentes momenti reijcere conemur, imprudentes & ea damnabimus quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur, imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus*. En ad quas angustias se redigant, teste S. Basilio, Aduersarij dogmatum non scriptorum, vt nempe vniuersam Religio-

ligio-

ligionem prodant. Enumerat deinde S. ille Doctor tam multa, quæ in Scripturis non continentur, quæ in vniuersa Ecclesia in vsu erant, quæ reijcere fuerit hominis omnino insani. Meminit signi Crucis, verborum consecrationis in Eucharistia, benedictionis aquæ Baptismatis, Olei vnctionis, aliaq. plura recenset, additque; *Deficiet me dies si Ecclesiæ mysteria citra scriptum tradita pergam recensere, &c. ipsam*, inquit, *fidei professionem, qua credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, è quibus habemus scriptis?* Hæc volui annotare ex libro de Spiritu sancto, quia Minister hæreticus nos ad illum remisit: At, dicet hæreticus, S. Basilius meminit etiam orationis ad orientem, & trinæ immersionis in Baptismate, tamquam traditionum Apostolicarum, quæ tamen in Ecclesia Romana non sunt amplius in vsu: poterunt igitur & reliqua, quæ ibi referuntur tamquam non necessaria non adhiberi. Ad hoc respondeo S. Basilium eo loco tantum contendere, non posse aliquid reijci in Ecclesia, ex eo quod non contineatur in Scripturis; hoc optimè probat inductione earum rerum, quæ tunc in vsu erant extra Scripturam. An autem omnia illa nõ scripta sint necessaria necne, non quærit. Vt igitur largiamur aduersarijs non

omnes traditiones Apostolicas esse semper obseruatu necessarias, non tamen inferre licebit esse omnes non necessarias, aut si necessariæ non sint posse vel contemni tamquam superfluas, vel impugnari tamquam superstitiosas, quod fit ab Aduersarijs.

Defenditur authoritas Canonum Apostolicorum. Cap. XII.

NOn pauca argumenta adferunt Nouatores, vt impugnent authoritatem Canonum, qui dicuntur Apostolorum. Vnum ex ijs hoc est. *Intelligi potest*, inquiunt Magdaburgenses, *non ab Apostolis, sed ab alijs, & quidam sæculis inferioribus, istos plerosque Canones compositos esse, quod plerique in Concilijs, quæ longè posthabita sunt, nempe Antiocheno, Nicæno, & Chalcedonensi conditi dicuntur, tum à patribus constituti, allegantur.* Hæc Magdeburgenses Cent. 1. Accipimus, quod fatentur istos Canones in Concilijs allegari tamquam constitutos à Patribus; Ex hoc namque colligitur eos vtiles valde esse ad disciplinam Ecclesiasticam conseruandam, & sacram politiam dirigendam, cum approbentur à Concilijs

lijs tàm Generalibus, quàm Prouincialibus, sed Aduersarij non ea de causa potissimum eos impugnant, quod non adeò sit certum eos Canones ab Apostolis per scripturam, & verbotenus esse compositos, sed quia in ijs tam multa prescribuntur de Hierarchia Ecclesiastica, alijsque, quę Nouatores omninò sustulerunt, ac perinde ad eorũ mentionem nauseant. Quod verò ex eo colligunt Canones istos non esse ab Apostolis compositos, quia ijdem vel videntur constitui, vel adduci in Concilijs posterioribus tempore Apostolorum, imperitè admodum faciunt, ijdem namque Canones repetuntur in varijs Concilijs, & inculcantur, quia peruersitas morum id requirebat, in quem finem etiam Canonum codex saltem semel singulis annis prelegebatur in Ecclesijs, vt auditores, & præsertim Clerici eos recenti memoria tenerent, & vitam secundum eos instituerent. Imò ipsa Concilia dum prescribunt aliqua ad εὐταξίαν facientia indicant se id facere secundum Canones iam conditos. Sic Concilium Nicænum primum Canone 20. *Talis*, inquit, *admittit* ὁ κανών. & Can. 2. *Multa*, inquit, *fiebant præter Canonem Ecclesiæ*. Ephesina synodus in actis: παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς, καὶ τοὺς κανόνας τῶν Ἀποστόλων. Ecce Concilia adducunt

 tam-

tamquam basim suarum constitutionum, & regularum Canonum Ecclesiæ, & simul clarè indicant non tunc condi Canonem, & regulam illam, sed iamdiu fuisse conditam, & usum ipsius vrgent. Dices forsan, Canonem Ecclesię, nihil aliud esse, quàm ius Ecclesiasticę consuetudinis, legem non scriptam, & veterem morem. Respondeo, sit ita sanè non repugno, modò vicissim fatearis ius istud originem suam habere ab Apostolis; quod significat clarissimè Concilium Ephesinum dum θεσμὲς ἐκκλησιαςικὲς consuetudines Ecclesiæ explicat per κανόνας τῶν Αποςόλων. & hinc dicimus collectionem illam, quę inscribitur Canones Apostolorum, vt non esset immediate, & totidem verbis confecta ab Apostolis; continere tamen egregium compendium disciplinæ Apostolicę, secundum quam primi illi sanctissimi Viri Ecclesias dirigebant ad communem omnium fidelium ędificationem.



Ad-

Aduersus contemptores S. Patrum obseruatio ex Nouatoribus ipsis. Cap. XIII.

NOn possunt de Nobis Catholicis conqueri heretici, si ea ratione cum illis agamus, qua ipsi inter se. Inuehuntur illi magnoperè in eos, qui scripta Sanctorum Patrum contemnunt, quæ etiam aduersus quoscunque Nouatores dicta volumus. Elmenhorstius Nouator edidit Proclum, vt scilicet refutaret Arrianos, Socinianos, aliosque, qui in Septentrionalibus partibus grassantur. Sic verò in Præfatione scribit aduersus contemptores SS. Patrum: *Hæc*, inquit, *sunt magna magnorum deliramenta hæreticorum, multis multorum sæculorum consensione comprobatis anathematismis profligata fortiter, & feliciter oppugnata, quæ hodie profana manu ventilant, & recidiua opinione diffamant homines extremè abiecti, litterarum rudes, studiorum profani, expertes artium nisi sordidarum: quasi ad libere fundata Superiorum instituta violanda, scita Patrum conuellenda, definita maiorum rescindenda, incorruptæ vetustatis castissimos limites profanandos sola inscitia, typhus, improbitas, & nouel-*

uellæ curiositatis libido instigat, qui si paucorum vesaniæ, vniuersorum anteposuissent sanitatem, intra sacraria fidei Catholicæ salui esse potuissent, qui nunc perditi oberrant, & alios in solatium perditionis suæ perdere non cessant, id vnum studentes, vt ab antiqua fide ad nouellam perfidiam, ab antiqua sanitate ad nouitatis vesaniam, ab antiqua luce ad nouitatis cæcitatem animos hominum auocent: & paulò post: *Quis satis dignè poterit τεεκατεῖαν, & impudentiam deprædicare, qua falsitatis patroni, veritatis propugnatores erroris, & dementiæ insimulant, religionem veterem tamquam ludam nugarum aspernantur, diuinæ legis oracula nouo, & inusitato more interpretantur, patrum scripta contemnunt, ipsi soli scilicet sapientes, & vltima hac ætate è cælo delapsi, qui curata corrigant, & erranti mundo comiter viam salutis monstrent*: *Nunc Proclum* do *debellatorem acerrimum Mopsuestenæ improbitatis*.

Hæc Elmenhorstius aduersus Nouatores Socinianos, quæ eadem ratione aduersus Lutheranos, Caluinianos, aliosque accommodari possunt.

De

De Sancto Dionysio Areopagita. Qualis author Librorum de Hierarchia Cœlesti, Ecclesiast. & Diuinis nominibus.

Cap. XIV.

NOuatores huius temporis tam contemptim sentiunt, & loquuntur de Sancto Dionysio Areopagita, vt non solum opus de Ecclesiastica hierarchia, aliaque eius esse negent, qui docente Sancto Paulo Christianam Religionem Athenis est amplexus, sed etiam scriptum illud velut delirantis, & superstitiosi hominis commentum, & non valde antiqui authoris explodant. Magis autem honorificè cœpit de eo scribere Isaacus Casaubonus; quamuis enim neget illius operis esse authorem Dionysium Areopagitam illum S. Pauli Apostoli discipulum, asserit tamen præclarum, eruditissimum, & antiquissimum esse scriptorem eum, qui confecit librum de hierarchia Cœlesti, & Ecclesiastica, & de Diuinis nominibus, vt propterea opus illud iuremerito possit adduci aduersus Nouatores tamquam antiquissima dogmata, & vetustissimos

ritus

ritus continens p. 761. Exercit. 16. num. 209. vocat eum scriptorem eximium, *Mysterium*, inquit, *vnitatis in declarandis ritibus Ecclesiæ toties attingit scriptor ille eximius.* Eadem exercit. p. 565. laudat eum tamquam antiquissimum, & elegantissimum. *Omninò,* inquit, *hæc ratio est, cur nonnulli Patrum, eximiè verò præ cæteris Dionysius, quem Areopagitam vocant, scriptor sanè antiquissimus, & elegantissimus.* p. 535. *Apud Dionysium,* inquit, *quē Areopagitam vocant, vetustissimum sanè scriptorem.* Cum igitur Dionysius author librorū de hierarchia sit antiquissimus, profectò antiquissimi erunt ritus, quos tam sublimi stylo, tam magnifico apparatu, tam accurata diligētia describit. Mos ille orandi pro defunctis, offerendi ad altare diuinum sacrificium vitę monasticæ initiandi, conficiendi diuinum vnguentum, consecrandi Ecclesiasticos, aliaque peragendi, quæ ad sacrosanctam liturgiam spectant.

Librum

Librum de Spiritu ſancto ad Amphilochium eſſe conſcriptum à Sancto Baſilio Magno. Cap. XV.

S. Baſilius Magnus ſcripſit librum de Spiritu ſancto contra Pneumatomachos ad Amphilochium. In eius cap. 27. quia magnus vir enumerat multos ritus in Scripturis non contentos, ſed traditione ab Apoſtolis acceptos, cupiunt Caluiniani nobis eum ſuſpectum reddere, & negare eſſe S. Baſilij germanum partum; ne ſcilicet cogantur admittere plurima Catholica inſtituta, quæ recenſentur iam ſupradicto capite vigeſimoſeptimo illius libri. Iſaacus verò Caſaubonus ingenuè fatetur librum illum verè profectum à S. Baſilio, nec vllam eſſe cauſam propter quam id eamus negatum. Verba ipſius ſunt Exercit. 16. n. 33. p. 520. aduerſus Annales Baronianos: *Locus*, inquit, *Baſilij eſt in capite viceſimoſeptimo libri ad Amphilochium de Spiritu ſancto. Nam vt obiter hoc dicam, magno Eraſmo non aſſentior, qui partem poſtremam eius libri ſuſpectam habuit: parum memor Iohannem Damaſcenus bis eius meminiſſe, & τριάκοντα κεφαλαίων librum nominaſſe;*

ſe; quia in capita diuiſus eſſet triginta, vt hodieque diuiditur. Omitto nunc graues alias cauſas, quæ me mouent. hæc ibi Caſaubonus, vbi aduerte animum lector ad authoritatem S. Damaſceni, qui bis eum librum tamquam S. Baſilij adducit. Idem Caſaubonus eadem exercit. 16. n. 43. p. 556. refutat obiectionem quandam Eraſmi, & aliorum aduerſus authoritatem illius libri. Sic igitur loquitur: *Baſilius de Spiritu ſancto capite 27. doctrinæ Chriſtianæ duas partes facit* τὰ κηρύγματα *præconia: &* τὰ δόγματα: *dogmata eo loco appellans, quæ alij vocant* τὰ ἀπόῤῥητα *arcana non euulganda; dogmata, inquit, ſilentio premuntur: præconia publicantur. Atque ibi vir Sanctus de ſilentio myſteriorum multa diſputat. Qui propterea illam eius libri partem habent ſuſpectam, & negant eſſe Baſilij, quod Eraſmo ante omnes, vt opinor venit in mentem; falluntur pleniſſime, nam in hac re conſentiunt ad vnum omnes veteris Eccleſiæ Doctores, Græci pariter, & Latini.* adducitque ibidem plurima loca in eam rem SS. Chryſoſtomi, Gregorij Nazianzeni, Theodoreti, Auguſtini, Dionyſij Areopagitæ, & aliorum plurimorum, vt omninò friuola ſit ratiuncula hæreticorum contra authoritatem illius libri, qui habet authorem magnum illum Baſilium.

Myſta-

Myſtagogica, & Catecheſes Cyrilli Hieroſolymitani eſſe germanum ipſius opus. Cap. XVI.

LEctio Myſtagogicorum, & Catecheſeon Sancti Cyrilli Hieroſolymitani magnam moleſtiam creat aduerſarijs Nouatoribus. Occurrunt namque in illo elegantiſſimo opere præclara multa de ſacris inſtitutis Eccleſiæ Catholicæ, quæ cum Nouatores euerterint, eiuſmodi etiam ſcriptum è medio ſublatum cupiũt. Sed audiamus quid obtendant. Iuuenis, inquiũt, id opus ſcripſit. Præclara ſanè ratio. Quaſi verò iuuentus authoris obſtet, quominus poſſit res ſui temporis deſcribere, & memoriæ mandare ea, quæ viderit paſſim eſſe in vſu. At, inquiunt, Cyrillus de ligno Crucis pronunciat id, quod omnem fidem videtur ſuperare, ligno nempe Crucis totum terrarum orbem per partes eſſe impletum: Verba ipſius ſunt: τοῦ ξύλου τοῦ σταυροῦ πᾶσα λοιπὸν ἡ οἰκουμένη κατὰ μέρος ἐπληρώθη. *Ligno Crucis iã orbis terrarũ per partes eſt impletus*. At hoc nequaquam fieri potuit, cum lignum illud ſit certæ & exiguæ quidem molis. Sed ea-

dem

dem ratione posset impugnari, & reijci S. Iohannis Euangelium, propterea quia in fine, *Si omnia*, inquit, *Christi facta scriberentur, mundum ipsum libros de ijs confectos non capturum*. per hyperbolem igitur hæc dicuntur. Sed audiamus ipsum Casaubonum diluentem obiectionem suorum symmistarum. is Exercit. 16. sect. 103. *Fateor*, inquit, *scribere Cyrillum in Catechesi 4. Ligno Crucis totus iam orbis terrarum per partes est impletus, & similia his in Catechesi 10. quæ à Baronio proferuntur. Sed in ijs verbis, quis non animaduertit imitationem eius quod dicit Iohannes in fine Euangelij? Si omnia, inquit, Christi facta scriberentur mundum ipsum libros de ijs confectos non capturum: quæ est elegans hyperbole, figura sacris scriptoribus familiaris. Sic & Cyrillus vtroque loco, mundum iam plenum esse ligno Crucis: quia frustula quædam parua, & minuta eius ligni; per omnes totius orbis prouincias iam tum fuerant delata, &c. Scio viros graues (* Caluinistas scilicet *) propter huiusmodi quædam loca cum in mystagogicis, tum in cæteris Catechesibus negare opus id* γνήσιον *Cyrilli*. Hæc Casaubonus. Qui post dilutam friuolam illam obiectionem suorum Collegarum, quos immeritò viros graues vocat, hæc subiungit ad probandum, & assceren-

ferendum opus Cyrilli. *Nos, inquit, præter testimonia vetustissimorum auctorum, qui eius operis Cyrilli meminerunt, aut quædam etiam ex illo descripserunt, Hieronymi, Theodoreti, Damasceni, Photij Patriarchæ, aliorum, rationes plurimæ, & validissimæ, vt aliter sentiamus impellunt.* Eant nunc Aduersarij, & refutent si possunt Casaubonum.

Quantum sit deferendum Iudæis Rabbinis in expositione sanctarum Scripturarum. Cap. XVII.

E Cœtu Caluiniano Interpretes, qui in diuinas Scripturas commentantur, SS. Patrum, & Ecclesiasticorum Scriptorum expositiones aut ignorant, aut carpunt, exploduntq. alto supercilio; Rabbinorum vero, maximo odio erga Ecclesiam Catholicam, & Rempublicam Christianam flagrantium cogitationes Grammaticas, & inanes fabulas, poeticis quamsimillimas subinde adducunt, testimonijs Veteris Testamenti, & præsertim Prophetarum ad perniciosos sensus detortis. Non mira-

mirabitur verò quis hunc Caluinianorũ agendi modum, qui secum expenderit summum ipsórum studium oppugnandi quomodocunque, Catholicæ Ecclesiæ instituta, & sacras Scripturas torquendi ad eos sensus, qui maximè videntur Romanæ Sedi incommodare. Quanti vero sint faciendi in exponendis S. litteris Rabbini, quantum ipsorum authoritati sit deferendum, docet ipse Isaacus Casaubonus, à quo possunt discere quam inaniter terant tempus, dum tam diligenter glossemata eiusmodi Commentatorum conquirunt. Sic itaque ille Exercitatione prima ad Apparatum Annalium Baronianorum num. 111. p. 9. *Sed*, inquit, *Rabbinis in historia etiam Sacra (nam in omni alia talpis, vt plurimùm cæciores sunt) quàm parum fidei sit tribuendum, ignorat eruditorum nemo*. Exercitatione verò decimasexta num. 15. p. 455. magis explicat suam de Rabbinis sententiam. *Ad prius*, inquit, *respondemus: Rabbinis vbi de lingua Hebraica agitur, & vocis alicuius proprietate, vel aliquo Thalmudico instituto, meritò à Christianis tribui non parum: vbi verò à verbis venitur ad res, aut ad historiam, vel rerum antiquarum veteris populi explicationem; nisi falli, & decipi volumus, nihil admodum esse illis fidei habendum. Sexcentis hoc argumen-*

tis

tis facilè probarem, si id nunc agerem. hæc ibi Casaubonus. Viderint igitur Caluiniani quid sit dicendum de commentarijs, & annotationibus in vetus Testamentum, quæ prodierunt præeuntibus Rabbinis à Munstero, Iunio, alijsque. Certè dum vestigia sequuntur Rabbinorum, necesse est, vt quam longissimè recedant à germano sanctarum Scripturarum sensu.

De Iudice controuersiarum, quæ in rebus Ecclesiæ oriuntur. Cap. XVII.

GRauissima ferè omnium controuersiarum, quæ hodie inter nos, & hæreticos, ea est, qua disceptatur de Iudice veri sensus Scripturæ, in qua si tandem conueniret inter partes, facilè possent omnia componi, & pax Ecclesiæ reddi. Hæretici existimant vnumquemque iudicem esse debere in rebus fidei, neque teneri vlli mortalium adhærere in interpretatione Scripturæ; Nos contrà sentimus Iudicem veri sensus Scripturæ, & omnium Controuersiarum esse Ecclesiam, id est Pontificem cum Concilio. Nititur autem nostra sententia per-

petuo sensu & vsu antiquorum Christianorum, quod probabo ipsorum Aduersariorum testificatione, qui sæpe aliud agentes remittunt studiosum veritatis non ad priuatum iudicium, non ad proprium sensum, sed ad synodorum explicationes, & decreta, ad totius Ecclesiæ consensum, & acriter inuehuntur in Arrianos, Anabaptistas, aliosq. eò quod soli sibi videantur sapere, alto autem supercilio despiciant Concilia, patres, Ecclesiam denique totam. Caluinus in libro contra Anabaptistas, vt insanos homines refutet, ait dogma quo illi perturbant Ecclesiam esse ab vniuersa Ecclesia reiectum, & cum anathemate damnatum. Verba Caluini sunt p. 500. *Operæpretium est moneri primùm authorem huiusce opinionis, qua hodie perturbãtur homines non à certis solùm hominibus, sed ab vniuersa Ecclesia reiectum, & cum anathemate damnatum*. Si Scripturæ sunt intelligendæ, prout vnicuique visum fuerit, neque decidendæ controuersiæ fidei publica Ecclesiæ authoritate, frustra disputat Caluinus contra Anabaptistas, qui quicquid contra clamitet ipse, regerent perpetuò suam sententiam contineri in sacris litteris. si dicat Caluinus à Spiritu sancto sibi suggeri Scripturam non eo modo esse explicandam quo eam intelligunt

Ana-

Anabaptistæ, respondebunt ipsi vicissim aliter intelligendam quam faciat Caluinus. Hic animaduertet Caluinus iudicium priuatum de sensu Scripturæ, esse controuersum, atque adeò aliò recurrendum; & quonam quæso? ad vniuersam Ecclesiam; & nisi sibi velit contradicere cogetur fateri illa demùm dogmata certò posse reijci tamquam contraria Scripturæ, *quæ ab vniuersa Ecclesia sunt reiecta, & cum anathemate damnata*. Petimus autem à Caluinistis, vt liceat nobis cum ipsis agere, vt ipsi consueuerunt cum Anabaptistis. Reijciunt ipsi Anabaptistarum dogma de repetitione Baptismi, *eò quod ab vniuersa Ecclesia sit reiectum, & cum anathemate damnatũ*; explodimus & nos Caluinistarum hæreses, eò quòd ab eadem vniuersa Ecclesia, quæ damnauit Anabaptistas, fuerint cum anathemate reiectæ. Beza epist. 41. refutat quemdam, cui placebat traducis animæ dogma his verbis: *Ais probari tibi traducis animæ dogma authoribus Veteribus Theologis non paucis. Ego illud prorsus repudio, & Ecclesia Christiana iampridem communi sensu explosit*. Reijcit Beza dogma Aduersarij, qua de causa? *quia Ecclesia Christiana communi sensu illud explosit*. Vides qualem iudicem controuersiarum assignet nobis

bis Beza, Ecclesiam nempe Christianam. Vt itaq; constet de veritate recurrendum ad commune iudicium Ecclesiæ.

Casaubonus detorsit dictum S. Iudæ Apostoli, & aliquot Patrum testimonia contra traditiones Apostolicas. Cap. XIX.

INsigni fraude abutitur Casaubonus dicto S. Iudæ Apostoli in epistola dedicatoria ad Regem Britanniæ, vt etiam detorquet aliquot testimonia SS. Patrum ad oppugnandas traditiones Apostolicas, vt scilicet conficiat nihil omninò esse credendum, nihil faciendum in Ecclesia, nisi illud tantummodò, quod in sacris litteris legitur. Quod Apostolus, quod sancti Doctores monent nihil esse docendum præter id, quod semel à Christo, ab Apostolis est traditum, id malitiosè restringit ad ea, quæ in sacris litteris descripta sunt. Sed audiamus ipsum Casaubonum, vt manifestius deprehendatur ipsius impostura, & detorsio. *Volumus*, inquit, *scire, quæ sit vera fides? Ea est authore*

Iuda

Iuda Apostolo: Quæ semel fuit tradita volumus fidei regulam tenere, quæ vt olim dicebat Tertullianus, vna omninò est, sola immobilis, & irreformabilis? sequamur Iudam, & illo docente, discamus, illam demum esse veram regulam fidei, quæ semel fuit tradita. In eam rem etiam adducit Tertullianum l. de veland. virginibus, qui ait: *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegia regionum.* & de præscriptionibus: *Principalitas veritati, posteritas mendacitati deputanda*: id enim esse dominicum, & verum; quod sit prius traditum: id autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissum. Adfert idem Casaubonus dictum S. Cypriani, qui in Epistola ad Cæcilium errantes in Religione, ad radicem; atq; originem traditionis Dominicæ omnibus nouellis, & humanis traditionibus valere iussis iubebat reuerti: *Hoc, inquit Casaub. volebant patres, qui de rebus fidei aliunde suadere neminem posse dicunt, nisi ex litteris fidei, vt loquitur Tertullianus; qui ne minimum quidem, quod ad fidem pertineat, aliunde peti debere, nisi è Scripturis præcisè definiunt, vt Cyrillus Hierosolymorum Episcopus in quarta Catechesi, qui fidei euersionem esse confirmat, aut prætermittere, & quasi irritum facere aliquid*

 quod

quod ſit ſcriptum, aut aliquid non ſcriptum inducere, vt Baſilius M. l. de fide. Et Cyprianus ait: Nobis nihil ex noſtro arbitrio inducere licet. & alij Græci Patres admonent nihil hodie, poſt fidem traditam à Chriſto poſſe quemquam παρεισφέρειν, *noui aliquid inducere ſine peccato. & S. Greg. Nazianz. Athanaſii fidem vocauit* ἔγγραφον εὐσέβειαν, *hæreſim verò Arrianam* ἄγραφον καινοτομίαν. Hæc Caſaubonus aduerſus Traditiones Eccleſiaſticas. At S. Iudas non meminit ſcripturarum. tantum dicit eam eſſe veram fidem, quæ ſemel tradita eſt Sanctis. Quod veriſſimum eſt. Nihil enim docendum in Eccleſia, niſi quod ab Apoſtolis traditum eſt Eccleſiæ. At Iudas non ait fidem hanc, omniaque ipſius dogmata eſſe tradita per Scripturam. Quod ait Tertullianus poſteritatem mendacitati principalitatem veritati eſſe deputandam id ferit hæreticos Nouatores, qui inaudita dogmata, & Eccleſię Apoſtolicę ignota, aut exploſa obtrudere audent. Per litteras fidei non intelligit ſimpliciter ſcripturas Tertullianus, ſed omne illud quod legitimè teſtatur de dogmatibus fidei. Reliqui volunt nihil debere induci ex noſtro arbitrio, ſed ſolum ea tradi, quę ab Apoſtolis accepimus. Damnantur hęretici, Arriani in primis non tam quod

doce-

docerent aliquid, quod non contineretur in Scripturis, quam quod esset contrarium Scripturis, cum namque Scripturę tradant ὁμοουσίαν filij, illam negare, erat & ἄγραφον, & ἀντίγραφον.

Cuius fidei sint narrationes, quæ Sacris litteris non continentur de Sacris personis Veteris & Noui Testamenti. Cap. XX.

TRaditionem Ecclesiasticam adeo contemnunt Nouatores, vt non solùm non reijciant multa instituta Apostolica, sed etiam historicas narrationes de multis rebus, quę acciderunt aut Apostolis, aut viris Apostolicis in dubium reuocent, & velut fabulosas explodant non alia de causa, quam quia in Scripturis sacris non continentur. Nihil prosunt hic plurium & grauissimorum authorum testimonia, vt fides eiusmodi historijs concilietur. Vt verò id non sine ratione videantur facere, adferunt argumentum ex D. Augustini verbis contra Faustum Manichæum, vbi S. Doctor impium ho-

minem reprehendens, qui negabat B. Virginem natam fuisse è cognatione Dauid, refellitque ea ratione, quod libris vteretur ad sententię suę demonstrationem, quibus nullum esset pondus contra librorum Canonicorum authoritatem. Vnde etiam his verbis infert Casaubonus Exercit. 1. sect. 19. num. 46. *Quare*, inquit, *quicquid de sacris personis Veteris, aut Noui Testamenti narratur præter verbum Dei (id est Scripturas) id cum libris Canonicis & θεοπνεύστοις comparatum, habetur Apocryphum. & quia non Canonicum est, non astringit, vt ait verè, & piè Augustinus.* Hæc Casaubonus. Sed detorquet verba Augustini, qui quando ait, *Quia non Canonicum est, non astringit*, non vult significare posse in dubium reuocari omnes narrationes, quę sacris litteris non comprehenduntur. Manichęi affirmabant B. Virginem non fuisse è cognatione Dauid, hoc vt probarent, suo more adferebant in medium nescio quę fabulosa scripta, à se confecta tamquã diuinitus tradita. Contra quę S. Augustinus munit veram sententiam de B. Virgine testimonio certo S. litterarum. Ad scriptum verò confectum à Manichæis, quo continebatur contrarium, respondet, quia non Canonicum est, non adstringit. Qui versati sunt in patrum lectione

C l sciunt,

ſciunt ; appellationem Apocryphorum , & Canonicorum modò laxius, modò anguſtius ſumi. Ita non Canonica ſcripta ſunt aliquando, quæ non habent diuinam authoritatem, qua ſunt prædita omnia ſcripta voluminum Veteris, & Noui Fœderis,Sacrorum Bibliorum. Aliquando ſic dicuntur illa, quæ conficta ſunt, & fabuloſa, qualia ſunt illa omnia,quæ continent aliquid, quod ſacrę Scripturę aduerſatur ; & ex iſto numero erat liber Manichæorum, qui pugnabat cum ijs, quę recitant Euangeliſtę, is igitur quia non Canonicus erat, ſed cerebri Manichęi comentum, non adſtringebat D. Auguſtinum. Huiuſmodi verò collectio non debet accommodari contra narrationes eas Scriptorum hiſtoricorum non diuinorum quidem, ſed nec confectorum, & fabuloſorum, quę quidem narrationes licet nō legātur in diuinis litteris,cùm tamen nō ijs repugnent,nec ratio vlla ſolida eas falſi conuincat, non debent velut confictę reijci. Certamen S. Petri cum Simone Mago, & de ipſo Apoſtoli glorioſus triumphus non quidem refertur à S. Luca, aut alio hiſtorico diuino, tamen quia habet authores ſcriptores Eccleſiaſticos, & graues, nec quicquam eam hiſtoriam falſi conuincit, non debet profecto ex obſeruatione Caſauboni detor-

tor-

torquente verba Augustini, vt commentitia explodi.

Quod Filius Dei sit verus Deus, asseritur ex authoritate Veterum Conciliorum, & Doctorum aduersus huius temporis Samosatenianos. Cap XXI.

PAtrem esse verum Deum, nullus hæreticorum huius temporis negat, & patet ex illo Iohan. 17. vt cognoscant te solum verum Deum; Filium autem Dei, esse verum Deum, & proinde vnum numero Deum cum Patre, negant obstinatissimi hæretici Arriani, Samosateniani, Socianiani, qui hodieque in multis locis Septentrionis dispersi veritatem oppugnare non desinunt. Refutantur autem plurimis argumentorum generibus, ex quibus illud insigne est, quod ducitur ex testimonijs Veterum Conciliorum, & SS. Doctorum, à quorum sententia discessionem fieri per eiusmodi dogma contra diuinitatem Filij, ne ipsi quidem Nouatores inficiari possunt. Beza Epist. Theolog. 6. *Summi illi Patres, qui Nicæno Synodo, reliquisq.*
vna-

vnanimi totius Ecclesiæ orthodoxæ receptis Synodis præfuerunt, à quibus tamen omnibus vos defecisse, ne ipsi quidem inficiamini. Hic Beza Arrianos alloquitur, aitq. eos dum oppugnant diuinitatem Filij Dei defecisse à Summis Patribus Nicænę Synodi, & ab alijs Concilijs totius orthodoxæ Ecclesię consensu receptis. Habent igitur huius temporis Arriani suæ opinioni contra Diuinitatem Filij Dei aduersantes omnes veteres Synodos, & SS. Patres. Idem Beza Epistola 81. ait Blasphemias Arrianorum tum ex Dei verbo, tum ex perpetuo Catholicæ Ecclesię consensu, & Synodis refelli. *Nostri*, inquit, *blasphemias* (Arrianorum) *tum ex Dei verbo, tum ex perpetuo Catholicæ Ecclesiæ consensu, & certæ apud nos fidei Synodis refellunt.*

Andreas Dudithius non negat dogma suum contra diuinitatem Filij Dei aduersari vnanimi consensui SS. patrum in Epistola ad Bezam.



Refu-

Refutantur Lutherani vbiquitarij, qui duas naturas in Christo vel diuidunt, vel confundunt, vel vtrumque faciunt. Cap. XXII.

HVius temporis hæretici Lutherani nolunt videri sentire cum Nestorio, aut Eutychete, duo tamen docent, ex quibus sequitur eos, vel esse Eutychianos, vel Nestorianos, vel monstrum ex vtraque hæresi temperatum. docent namque Christi carnem habere attributa diuinitatis, ac præcipuè omni præsentiam. Secundò docent vnionem hypostaticam consistere in ista communicatione attributorum diuinorum ipsi carni, & humanitati. Quare eorum doctrinam Eutychianismi, & Nestorianismi accusamus meritò, ac abhorremus ab eiusmodi dogmatibus tanquam explosis ab orthodoxa Antiquitate, quam repugnare Lutheranis ipsi Nouatores fatentur. Synodus Dresdensis habita à Lutheranis anno 1571. Sic loquitur: *Quod*, inquit, *præcipuum fidei nostræ, & Ecclesiæ caput est, videlicet articulus de duabus naturis in Christo, id commen-*

titia

titia idiomatum reali, & physica in ipsis naturis communicatione deprauari horribiliter, atque è contrario hæreses iam olim dãnatas Marcionitarum, Valentinianorum, Manichæorum, Samosatensium, Sabellianorum, Arrianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, & Monothelitarum induci, atque innouari satis demonstratum est. Et infra: *Commentitia ista communicatio physica, quæ nostro primùm tempore cum vbiquitate corporis Christi introduci cœpta est, vniuersæ orthodoxæ Ecclesiæ, & toti orbi Christiano inde vsque ab initio incognita fuit.*

Proprietates diuinæ naturæ in Christo non communicantur realiter humanæ contra hæresin Lutheranorum. Cap. XXIII.

LVtherani docent ex vnione hypostatica sequi communicationem realem attributorum diuinorum, ac præcipuè immensitatis, siue vbiquitatis, vt scilicet hac ratione possint probare contra Caluinistas corpus Christi esse realiter præsens in S. Eucharistia. Refellitur

verò

verò iste error à Sanctis Patribus, vt prolixè ostendunt Lutheranorum hostes Caluiniani. Citant Conciliũ Chalcedonense, in quo actione 5. sic legimus: *Salua vtriusque naturæ proprietate, & in vnam concurrente personam*, &c. & toties inculcant vnionem factam ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, καὶ ἀτρέπτως, inconfusè, indiuisè, & absque conuersione. & ideò damnant Lutheranos Eutychianismi, Nestorianismi, & Monothelitismi. Hoc sæpissimè inculcatur in libris Eristicis Caluinianorum, in primis verò aduersus vbique præsentiam corporis Christi adducunt sequentia Patrum testimonia. Augustinus Epist. 57. ad Dardanum, vbi dicit in fine Epistolæ, Christum esse vbique, vt Deus, & in aliqua parte cœli propter veri corporis modũ. S. Ambrosius l. 2. de fide c. 4. *Neque enim*, inquit, *Deus de loco ad locum transit, qui vbique semper est, vt homo est, qui vadit ipse est, qui venit*, denique & alibi dicit, *Surgite, eamus. In eo ergo vadit & venit, quod est commune nobiscum*. Rursus Augustinus tract. 78. in Iohannem: *Sed à quibus homo abscedebat, Deus non recedebat, &c. Ergo ibat per id quod homo erat, manebat per id quod Deus erat*. Et Epist. ad Dardanum: *Non est autem consequens*, inquit, *vt quod in loco est, ita sit vbique, vt Deus,*
nam

nam & de nobis veracissima scriptura dicit, quod in illo viuimus, mouemur, & sumus, nec tamen sicut ille vbique sumus, sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam ac singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumque vnus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo. Hæc & alia sæpissimè citant Caluinistæ aduersus Lutheranos.

Beatissima Mater Dei, virgo ante partum, in partu, & post partum, in quo multa extra ordinem contigerunt. Cap. XXIV.

CAluinistæ de partu Beatissimæ Virginis ita sentiunt, vt dicant fuisse eam Virginem, concepisseq. Christum Dominum absque opera & semine virili, virtute Spiritus sancti, Virginem verò peperisse, mansisseque integram, & incorruptam negent, imò asserant fieri non potuisse, vt integra virginitate, non reseratis claustris proderet infantem. Ec-

clesia

clesia verò Catholica semper docuit Beatissimam Dei Matrem in partu, & post partum virginitatem illęsam retinuisse, vt etiam obseruat Elmenhorstius Lutheranus in orat. Procli de Natali Saluatoris. *In partu, & post partum virginitatem illæsam retinuit.* *Eleganter, vt solet*, Zeno *Veronensis serm. 11. de Natali Christi p. 225. Etenim Deus, Dei Filius tempore constituto dissimulata interim maiestate ab ætherea sede profectus in prædestinatæ Virginis templo sibimet castra metatur, quibus latenter infunditur, hominem gigniturus, idemque saluo quod erat meditatur esse quod non erat. Rursus itaque humanæ carni se fingit infantem. Mariæ superbus emicat venter non munere coniugali, sed fide: verborum semine decem mensium fastidia nescit: vtpote quæ in se Creatorem mundi concepit, parturit non dolore, sed gaudio. Mira res exultans exponit infantem totius naturæ antiquitate maiorem. Interea rudis non genuit fœta mundum, non vt assolet, infans fusus ingrediens sponte vitæ reptantis præmijs lacrymis auspicatur. Non mater eius tanti partus pondere exhausta totis pallens iacuit resoluta visceribus; non filius, aut suis est vllis sordibus delibutus: neque enim reuera aliquid circa se habere posset immundum,*

qui

qui humani generis peccata, sordes, & maculas venerat mundaturus. Denique purgationes, quæ sunt tarditate periculosæ, nulla puerum maternorum viscerum prosecuta sunt damna. Nulla adhibita rudi fœtu sueto more fomenta, neque enim his poterat indigere, quæ accipere in vterum meruerat filium omnium Saluatorem. O magnum Sacramentum. Maria Virgo incorrupta concepit post conceptum virgo peperit: post partum Virgo permansit, ita Christus in hominem se fecit nasci, quemadmodum non potest impurus nasci. Non igitur, inquit Elmenh. *audiendi Eluudius, Iouinianus, & lubrici nostri Nouatores, qui audacia artis Dialecticæ inflati, & supercilio luminis tumidi illorum somnia recoquunt. Nam si per nascentem corrupta esset integritas Mariæ (vt ipsi volunt) non de virgine Christus natus esset, eumq. falsò, quod absit de Virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia, quæ imitans eius matrem quotidie parit membra eius, & Virgo est, vt ait B. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium tom. 3. cap. 34. fol. 116.*

Hæc Elmenhorstius.

Probatur etiam Primatus Romani Pontificis ex iure appellationum ex totius orbis Ecclesijs. Cap. XXV.

EX eo etiam probamus Romani Pontificis primatum, quod ex quauis parte orbis Christiani ad Romanum Pontificem legitimè prouocatur, ab eius verò sententia nulla conceditur appellatio. Id quod est certum argumentum primatus quod non negant Aduersarij. At vnde probabimus eiusmodi appellationes fuisse in vsu apud Veteres? Respondeo; Ex multis, sed in primis ex Concilio Sardicensi, quod totum tamquam legitimum descripserunt Centuriatores centur.4.c.9. Huius Concilij Canon quartus sic habet: *Cùm aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit agendum sibi negotium in vrbe Roma, alter Episcopus in eius Cathedra post appellationem eius, qui videtur esse depositus omninò non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata*. Canon autem septimus: *placuit, vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint Epi-*

Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint, si appellauerit, qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si iustum putauerit, vt renouetur iudicium scribere hoc Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligenter omninò inquirant, & iuxta fidem veritatis definiant.

Ex Vicarijs Sedis Apostolicæ colligitur primatus Pontificis Romani. Cap. XXVI.

ILlustrissimus Cardinalis Bellarminus lib. 2. cap. 20. de Pontifice, vt probet Romanum Pontificem habere iurisdictionem in totam Ecclesiam sic scribit: *Quemadmodum ex eo quod Rex mittit Proreges ad Prouincias, intelligimus Regi eas Prouincias subiectas, & similiter ex eo, quod Rex iniungit iudicia Præsidibus Prouinciarum, cum reseruatione causarum, intelligimus Regem esse summum Iudicem: Ita quoque ex eo quod Apostolicæ Sedis Vicarios habebat in omnibus ferè longinquis Regionibus, vel vices suas ad tempus alicui committebat, & tamen ad se grauiora negotia referri volebat, rectè colligimus ad*

Apostolicam Sedem iudicium totius Ecclesiæ pertinere. Quæ dum oppugnat M. Antonius de Dominis lib. 2. cap. 4. de Republ. Eccl. fatetur Papā antiquitus habuisse in omnibus penè Regnis Legatos. *Papa*, inquit, *tenebat in omnibus penè Regnis Legatos suos; legatione alicui ex præcipuis illorum Regnorum Episcopis commissa*. Itaque quod Bellarminus ait; Apostolicam Sedem habuisse Vicarios in omnibus ferè longinquis Regionibus hoc admittit Spalatensis.

Non prohiberi appellationes Episcoporum ex Africa ad Romanum Pontificem. Cap. XXVII.

ADuersus authoritatem Summi Pontificis Romani adducunt Caluiniani appellationes ex Africa ad ipsum prohibitas fuisse, vnde colligunt eam in illas Ecclesias nullam habuisse iurisdictionem. Canones, quibus videntur prohiberi eiusmodi appellationes duo sunt, primus in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ edito à Christophoro Iustello est 28. Item placuit, vt presbyteri, diaconi, vel cæte-

ri

ri inferiores Clerici, in causis, quas habuerint, si de iudicijs Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis Episcopi: quòd si & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent ad transmarina iudicia, sed ad primates suarum prouinciarum, aut ad vniuersale Concilium: sicut & de Episcopis sæpe constitutum est. Ad transmarina autem, qui putauerit appellandum à nullo intra Africam ad communionem suscipiatur Can. Secundus est in ordine 125. de presbyteris, & Clericis, vt non appellent, nisi ad Africana Concilia. Respõdeo, isti Canones sunt constituti authoritate Pontificis Romani, interfuerunt namque Legati Sedis Apostolicæ, tantum igitur abest, vt detrahant illius iurisdictioni, vt potius eam confirment. Secundo agitur tantum de appellationibus presbyterorum, & aliorum Clericorum, non autem Episcoporum, quinimò istorum tacitè conceduntur dum non prohibentur. At, inquies, idem constitutum est de Episcopis, vt testantur verba Canonis: *Sicut & de Episcopis sæpe constitutum est*. Respondeo. ex his non colligitur ita esse Episcopis interdictas appellationes ad transmarina iudicia sicut presbyteris. Sed licere vt Episcopis ita etiam

 presby-

presbyteris à primate & Synodo Prouinciæ ad vniuersale Concilium (non totius Ecclesiæ Catholicæ) sed diœceseos prouocare. Quod etiam ad primum illum Canonem obseruauit Iustellus. De Episcopis igitur nihil statuit Canon; sed ab ipsorum prouocationibus ad primatem & generale Concilium totius Africæ assumit exemplum ad confirmandas appellationes presbyterorum. Malè verò quis collegerit hoc modo; Episcopis licet appellare ad primatem, & Concilium dioeceseos; ergo ipsis interdicitur prouocare extra Africam. At inquit Iustellus p. 45. in Notis ad Cod. Africanum: *Appellationum Episcoporum ex veteri iure Ecclesiæ vniuersæ nullus extra Diœcesim vsus fuit*: Citat locum Sozomeni l. 3. c. 7. vbi refert Episcopos orientales scripsisse Iulio, fas ei non esse quod ab ipsis actum fuerat irritum facere. At hoc ipsum caput Sozomeni, quod citat refutat Caluinianos. Nam ibi inquit Sozom. *Cum propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit*: & infra: *Athanasius, & Paulus ad suas Sedes reuertuntur, litterasq. Iulij Episcopis Orientis mittunt*. Quod verò hostes Athanasij Iulium accusabant; illius ratio nulla debet haberi, cum fautores essent Arrij, & contra ius

perse-

persequentem Athanasium, & qui cum eo erant. Res verò ipsa tandem docuit iure ab Athanasio, & cum ipso sentientibus ab iniquo iudicio prouocatum fuisse ad Iulium, cuius authoritate factum vt Athanasius ad suam Sedem reuerteretur, vt iam docuit nos Sozomenus. Causæ Aduersariorum incommodat, non prodest locus Sozomeni adductus à Iustello. At porrò obijcit Iustellus,& ait,*etiam Canones Conciliorum œcumenicorum non admittere eiusmodi appellationes Episcoporum*. Respondeo legat Iustellus duos Canones Synodi Sardicensis Generalis, & aliter sentiet. Quartus sic habet: *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur,& proclamauerit agendum sibi negotium in Vrbe Roma alter Episcopus in eius Cathedra post appellationem eius, qui videtur esse depositus, omninò non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata*. si illam nolit admittere vt legitimam,norit Magdeburgenses eam vt talem totam describere centur. 4.cap.9.



Refellitur obiectio hæreticorum aduersus Conciliorum authoritatem. Cap. XXVIII.

SVnt ex hæreticis, qui Conciliorum saluberrimam authoritatem ita explodunt, vt dicant tantum abesse, vt Concilia ad sedandas turbas in Ecclesia conuocanda sint; vt potius ea debeant omitti tanquam maiorum malorum incentiua. Hoc vt comprobent, adducunt quoddam dictum S. Gregorij Nazianzeni in epist. 42. ad Procopium, vbi negat *se vnquam alicuius Concilij bonum exitum vidisse*, qua etiam ratione motus ait, nolle se interesse ei Synodo, ad quam vocabatur. Addit etiam malorum non tam remedia, quàm incrementa ex illis prouenisse: Ad hanc tamen obiectionem respondet ipse Iustellus præfat. in Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ. vbi post adductum dictum illud S. Gregorij sic scribit: *Nonnullas tamen Synodos, etiam ante Nazianzeni tempora, atque illius ætate, ipse exitus longè optatissimus comprobauit, Nicænam nempe primam, & Constantinopolitanam primam, quarum prior Christi Diuinitatem contra hæresim Arrij vindicauit: altera, cui & ipse Nazianzenus*

zenus interfuit, Macedonium, qui Spiritui sancto diuinitatis æqualitatem denegabat, quam Arius filio detraxerat, impietatis condemnauit. Nec minus feliciter, post ipsius Gregorij ætatem, celebratæ sunt œcumenicæ Synodi, Ephesina contra Nestorium, qui Christum in duas personas diuidebat, & Chalcedonensis contra Eutychem, qui vnam tantum in Christo naturam asserere ausus est. De earum etiam authoritate adducit verba Iustiniani nouella 131. *Sanctarum quatuor Synodorum dogmata perinde ac diuinas scripturas accipimus, & canones sicut leges obseruamus.* paulò post: *Tamen dubium non est, post Nicænam Synodum, Arrij hæresim auctam, & corroboratam fuisse: vnde & maiora incommoda nata sunt. De quibus Hilarius aduersus Constantium Imperatorem scribens, Conscij nobis, inquit, sumus inuicem post Nicæni Concilij conuentus Synodum, nihil aliud quam fidem scribi: dum in verbis pugna est, dum de nouitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de authoribus querela est, dum de studijs certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cœpit, propè iam nemo Christi est. & contra Arrianos: Miserari licet nostræ ætatis laborem, & præsentium temporum stultas opiniones congemiscere; quibus*

quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione seculari laboratur. Id verò non Concilio tribuendum est, sed hominum improborum φιλονικεία, & φιλαρχία*: nihilque aliud Nazianzenus, qui pessimis hisce, ac turbulentissimis Ecclesiæ temporibus vixit, quàm de summa suæ ætatis nequitia queritur, Synodosque refugit, ne maiorum inde malorum occasio nasceretur. Pertinaces enim, ait, contentiones, & dominandi cupiditates ne vllis quidem verbis explicari queant, citiusque aliquis improbitatis arcessetur, dum alijs iudicem se præbet, quam vt aliorum peruersitatem comprimat. Propterea memet ipse collegi, animæq. securitatem in sola quiete, solitudineque mihi positam iudicaui*. Hæc ibi Iustellus.

Soli Episcopi tamquam Iudices rata habent quæ in Concilijs definiuntur. Cap. XXIX.

AD decidendas quæstiones fidei, ferendaq. suffragia cum authoritate iudicum instar non solùm Episcopos, sed etiam Presbyteros, Diaconos, imò quoscunque Doctores, non

non Doctores laicos, admittendos esse putant hæretici: quod sanè nouum est in acclesia, & à veteribus, perpetuisq. Institutis Ebsonum, quod facilè cuiuis innotescere potest, si vel obiter inspiciat acta Conciliorum, in quibus illud millies repeti animaduertet: Ego NN. Episcopus definiens, ὁρίζων subscripsi. subscribunt quidem & Presbyteri & Diaconi, sed non ex propria authoritate, sed tantùm si vices Episcoporum gerant. Hæc consuetudo cùm nota esset M. Antonio de Dominis scripsit l. 4. c. 5. de Republ. Ecclesiast. *Episcopi*, inquit, *omnes*, *& singuli sunt Ecclesiæ Consiliarij in Concilijs vniuersalibus cum suffragio*, *vt ostendam l. 7. decisiuo*, *non modò consultiuo*. Ibidem paulò post: *In Synodis*, inquit, *vbi suffragijs negotium esset decidendum*, *soli Episcopi suffragium ferebāt*, *vt ostendam libro septimo*. Lubenter verò nossem ex Caluinistis Anglis, cur cum anno *1618*. haberetur Synodus Euangelicorum Dordraci; miserint eò non Episcopos ex suis, sed tantum Doctores Theologiæ, cum doceant Episcopum iure diuino superiorem esse Presbytero, cur per Ministros, & Doctores solos voluerint definiri res suæ Religionis non interueniente vllo Episcopo? Certè eiusmodi negligentia fuit magni præiudicij instar aduersus Anglorum Pseudo-
Epi-

Epiſcoporum authoritatem, quam tantopere cuperent ſubuerſam Puritani.

Refutatur confeſsio Caluini ex ijs, quæ Caſaubonus obſeruat aduerſus Nouitates hæreticorum. Cap. XXX.

CAluinus ſuis Geneuenſibus tradidit quãdam formulam confeſſionis fidei, & pauculos quoſdam ritus, quos Agendam vocant, quales in tota antiquitate reperire non licet: Quod eſt euidens ſignum falſitatis, & deprauatæ inuentionis, & ſuperinductionis. Certiſſimum namque eſt ea quæ credere de rebus diuinis, & facere ad colendum Deum nos oportebat perfectè tradita fuiſſe à Chriſto Domino Apoſtolis, & ab his viciſſim illis, qui ſubſecuti ſunt in regimine Eccleſiæ Catholicæ. Quia verò Caſaubonus Nouator licet ſit, tamen profitetur odiſſe ſe Nouitates in Eccleſia, ideò adfert nonnulla, quæ funditus euertunt Nouellitates Caluinianas: *Ea*, inquit in epiſt. dedic. ad Regem, *eſt fides, ad quam alter Apoſtolus S. Iudas omnes omnium Eccleſiarum fideles*

les reuocabat, cum pullulantibus inter ipsos iam tum hæresibus hortatur suos, vt fortiter decertent pro fide quæ semel tradita fuit Sanctis: quæ, vt Tertullianus ait, vna omninò est, sola immobilis, & irreformabilis. idem de velandis virginibus: Veritati nemo præscribere potest. & libro de præscriptionibus; *principalitas veritati, posteritas mendacitati deputanda; id enim esse dominicum, & verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissũ: rectissimèq.* (inquit Casaubonus) *idem docet, parabolam Christi seminantis, & diaboli postea sterilis fœni adulterium superinducentis, doctrinarum distinctionem figurasse, id est veram antiquitatem asseruisse aduersus posteriores quasque hæreses. Hoc & Beatus Martyr Cyprianus volebat, cum in Epistola ad Cæcilium errantes in Religione, ad radicem, adque originem traditionis dominicæ, omnibus nouellis, & humanis traditionibus valere iussis iubebat reuerti. Tertull. in præscriptionibus: Nobis nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de suo arbitrio elegerit, Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. hæc*

Ter-

Tertullianus. E tribus Regulis Vincentij Lirinensis, quæ in omnium ore ſunt, prima eſt; quod fuit à principio. At quis quæſo vel mediocriter peritus Scripturarum, & antiquitatis eccleſiaſticæ dixerit Confeſſionem fidei Caluinianam eſſe fidem illam ſemel traditam à Chriſto? Caluinus eam ſibi finxit è ſcripturis vtcunque ſuo arbitrio, intellectis, eamque ſuperinduxit, propoſuitq. quaſi à Chriſto traditam.

Reſpondetur Caſaubono excuſanti Anglos à ſchiſmate. Cur & quomodo Eccleſia Catholica dicatur per totum orbem diffuſa. Cap. XXXI.

ISaacus Caſaubonus in epiſtola ad Cardinalem Perronium excuſare conatur Anglos à ſchiſmate ratione quam hic expendo. Dixerat Cardinalis Regem Iacobum, & Britannos non poſſe dici Catholicos, eò quod Catholicæ Eccleſiæ non communicent. Catholicum namque dici & eſſe eum qui non ſolùm orthodoxè ſentiat, ſed etiam vnionem cum Eccleſia vniuerſali, & toto orbe diffuſa colat. Hanc ratiocinationem

tionem ſuam probat adductis multis locis S. Auguſtini ex opuſculis exaratis contra Donatiſtas. Caſaubonus fatetur S. Auguſtinum tunc temporis ita diſputaſſe aduerſus Donatiſtas, & ex communione cum Eccleſia Catholica, quæ demonſtrabatur per Formatas rectè collegiſſe penes Donatiſtas non eſſe Eccleſiam Chriſti, penes autem cæteros Afros eſſe. Sed ait hunc modum colligendi non valere iam, neque accommodari poſſe ad noſtra tempora. Iam enim non poſſe fieri, vt quis communicet Eccleſiæ Catholicę toto orbe diffuſæ, cum deſierit eſſe in toto orbe, & valde ſit reſtricta per defectionem Orientalium, aut ſaltem eſſe diuiſam per diſſenſiones inter Latinos & Gręcos, quorum vtraque pars contendit penes ſe eſſe Eccleſiam. Facta igitur Eccleſię Catholicæ diuiſione non eſſe exigendam ab Anglis communicationem cum Eccleſia Catholica. Reſpondeo. Bene habet quod Caſaubonus fatetur S. Auguſtinum cenſuiſſe, vt quis dicatur Catholicus neceſſe eſſe communionem colere cum Eccleſia Catholica, ſiue toto orbe diffuſa. Qua ratione mouebatur tunc D. Auguſtinus ad exigendam iſtam communicationem cum Eccleſia Catholica ab eo, qui vellet eſſe, & dici Catholicus, illa adhuc viget, ſemperque vigebit. Eſt autem

tem ratio hæc; quia in Scripturis Ecclesia nobis describitur toto orbe diffusa. Ita de ea prędixerunt Prophetę, ita de diffusione ipsius in totum orbem locuti sunt Apostoli. Audiamus S. Augustinum ep. 152. *Confessi sunt enim* (Donatistę) *contra Ecclesiam Catholicam, quæ toto terrarum orbe diffunditur, nihil se habere quod dicerent, quia diuinis sanctarum Scripturarum testimonijs oppressi sunt, quibus Ecclesia designatur incipiens à Ierusalem creuisse per loca, in quibus Apostoli prædicauerunt, & nomina eorundem locorum in suis Epistolis, & actis conscripserunt, & inde diffundi per cæteras gentes.* hęc S. Augustinus. mitto alia plurima loca. Vt autem Ecclesia numquam desinit esse Catholica, ita semper rectè dicitur toto orbe diffusa. Dicitur enim Catholica non solùm ob tempora, & personas, sed etiam loca. *At*, inquit Casaubonus, *Ecclesia non est iam diffusa toto orbe quamcunque intelligas etiam Romanam, eosque qui cum Romana communicat.* Respondeo, vt dicatur Catholica non est necesse, vt in omnibus, & singulis mundi prouincijs, nulla excepta, sint Ecclesiæ quæ cum illa communicent. Nã Catholica dicebatur tempore Apostolorum, tempore S. Augustini ob diffusionem ipsius, & tamen excludebatur ex vastis-

vastissimis regionibus, in quibus ne fando quidem auditum fuerat nomen Christi, Christianæque Religionis, vt res ipsa manifestè docuit superiori sæculo, quando America est detecta. Nihilominus, vt fatetur Casaubonus, necessaria erat communio cum illa omnibus, qui Catholici esse, & censeri vellent. Itaque separatio Græcorum non obstat, quominus Ecclesia Romana, & illæ quæ ei adhærent sint Ecclesia Catholica. Quod si rectè calculũ ponas, etsi forte non sint iam tot numero Catholici in mundo, quot erant tempore S. Augustini, sine dubio tamen latius patent iam Romani Catholici Christiani, quam tempore S. Augustini.

Protestantium cœtus longissimè absunt à veræ Ecclesiæ, & Religionis constitutione. Cap. XXXII.

DE S. Gregorio Magno ita scribit Casaubonus Exercit. 16. num. 144. *Fuit Gregorius non solùm cognomine, sed rebus ipsis magnus & Sanctus, ac verè sui sæculi, prope iam ferrei, phœnix*. At de ipso referunt Centuria-

 tores

tores Magdeburgenſes centuria ſexta, *quod miſerit Auguſtinum Romanum Ordinis Benedicti Monachum anno 582. in Angliam &c. quod Auguſtinus Edelbertum regem cum vxore ſua Religione Romana imbuerit. Quod idem in Dorobernenſem Archiepiſcopum electus fuerit, ab Etherio Arelatenſi conſecratus. Quod conuocata Synodo Romanos ritus & conſuetudines obtruſerit* (non obtruſit, ſed Apoſtolicè induxit.) *nimirum Altaria, veſtes, imagines, Miſſas, Calices, Cruces, Candelabra, Thuribula, vexilla, vaſa ſacra, luſtrales aquas, Romanarum cœremoniarum codices, oblationes, proceſſiones, pompas, decimas, & ſimilia, & poſtulauerit, vt eodem tempore paſcha celebrarent, & baptiſmum ritibus Romanorum adminiſtrarent, &c. quod à Gregorio Pallium, reliquias Sanctorum ex Roma acceperit. Eccleſiam Saluatoris Cantuariæ inſtaurauerit, & monaſterium in honorem Petri extruxerit*. centuria 7. ex tertio capite ſecundi libri Bedæ referunt: *Hic requieſcit Diuus Auguſtinus Dorouernenſis Epiſcopus primus, qui olim huc à Gregorio Romano Pontifice directus, & à Deo miraculorum operatione ſuffultus, Edelbertum Regem, & Gentem illius ab Idolorum cultu ad fidem Chriſti perduxit*. Confer nunc lector modum propagandæ, & conſti-

tuen-

tuendæ Religionis Christianæ eum quo vtitur Romanus Pontifex cum illo, quem adhibent protestantes. Vides docentibus Centuriatoribus mitti Monachum, eligi Archiepiscopum, consecrari ab alio, inducere altaria, imagines, missas, calices, cruces, candelabra, thuribula, vexilla, vasa sacra, lustrales aquas, aliaque. Factum id sæculo sexto. Protestantes demum post decimumsextum sæculum incitati à Monacho apostata à nullo misso, nullis miraculis nixo, altaria destruunt, reliquias proijciunt, imagines comburunt, Episcoporum ordinem tollunt. Nostra Romana & Catholica peraguntur à Pontifice Magno sancto vel ex confessione aduersariorum, per Monachum miraculorum gloria suffultum. Contra tantos viros quomodo consistent cœtus protestantium, rerum sacrarum iam supradictarum expertes? Vides lector nullam esse similitudinem professionis Lutheranæ, & Caluinianæ cum constitutione Religionis Catholicæ.

Scriptoribus Ecclesiasticis quid sit chirotonia. Cap. XXXIII.

VT plebi asserant ius eligendi Ministros Ecclesiasticos, grammatico quodam argumento se iactant Nouatores, petito nempe ex significatione, vt ipsi putant, propria verbi chirotonein, quod cum significet manum eleuare, aut extendere, si originariam ipsius significationem respiciamus, electionesque Episcoporum, aliorumque Ecclesiasticorum legantur factæ coram plebe, colligunt ex plebe vnumquemque extensa manu solitum antiquitus significare, quem ex Candidatis muneris Ecclesiastici electum cuperet. Sed non est quod vim faciant in verbo Chirotonein, cum sit de illorum genere, quæ Ciuitate Ecclesiastica donata, Ecclesiasticam etiam accipiunt significationem, de qua Grammaticos puros, rerum Theologicarum ignaros iudicium ferre ineptissimum fuerit. Non est verò nouum, vt nonnulla nomina, quæ ex sua origine generalem habebant significationem vsu ecclesiastico restringantur, & vni cuidam rei singulari significandæ accommodentur. Exempla passim occurrunt apud Scriptores Ecclesiasticos. Ec-

clesiæ

clesiæ nomen latè acceptum quemuis cœtum hominum significat, at ecclesiastico significatu solùm significat Congregationem Christianorum, ita quidem vt ipsa etiam Synagoga Veteris testamenti Ecclesiæ nomine venire nequeat. Ita Idola non quascumque imagines significāt, sed tātum fictos deos gentiliū, eorumq. statuas, quibus sacrificabant Idololatræ. Idem testatur S. Augustinus de significatione nominum Duliæ, & Latriæ. Cæterum quam sit inane argumentum hæreticorum, ad adstruendum ius eligendi Ecclesiasticos Plebi, ex Antiquitate Ecclesiastica commonstrat M. Antonius de Dominis, cui se submittere ne quæso dedignentur Noui litteratores. Sic verò ille c. 2. de Republ. Ecclesiast. n. 59. *Ex Christi*, inquit, *instituto potestas ministerium propagandi data est solis Apostolis, & Apostolorum successoribus, non plebi fidelium, vt est ostensum, neque confugium grammaticale ex verbo chirotonia quicquam prodest, quasi significet, vt quidam asserunt, populi suffragia per elationem manuum. Ecclesiastici enim Scriptores vtuntur eo verbo pro ipsa manuum ordinantiū impositione, vt constat ex tot locis, in quibus fit chirotonia nemine ex populo præsente. Hieronymus in Esaiam c. 58. huius vocis interpretationem etiam pro ipsa ordina-*

dinatione, & manus impositione ponit, & admittit. Imò verò etiamsi populus esset præsens, & suo suffragio concurreret interdum in personam ordinandam, adhuc tamen solus ordinator, siue ordinatores, nimirum Apostoli & Episcopi dicebantur Chirotonein, &c. quod verò Apostoli interdum etiam cum totius Ecclesiæ præsentis præsentia, & consensu ordinarunt Ministros, hoc tamen neque in omnibus, & semper factum est, neque necessarium absolutè erat, vt minister sufficientissimè diceretur ordinatus. Hactenus M. Antonius.

Quid sint ἴδιοι ὅροι in Can. 25. Codicis Canonum Africanorum, an hi fuerint græcè ab initio conscripti. Cap. XXXIV.

PLessæus Mornæus in libro de Eucharistia scribit Episcopos, presbyteros, & diaconos in Ecclesia antiqua Africanos habuisse Episcopos, presbyteros, & diaconos vxores, ab illis verò abstinuisse solùm tempore ministerij, quod exercebant, hoc putat posse se deducere ex can. 25. Codicis Can. Eccles. Afric. vbi

græcè

græcè legitur, eos debere se continere ab vxoribus κατ' ἰδίους ὅρους, hoc est, vt ipse explicat secundum proprios terminos scilicet temporis proprij ministerij. At per ἰδίους ὅρους debent intelligi canones proprij de ipsorum sacerdotum continentia, qui iam erant editi, sed tunc confirmabantur, & repetebantur. Ideo textus Latinus sic habet: *Placuit quod in diuersis Concilijs firmatum est, vt subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & diaconi, & presbyteri, sed & Episcopi secundum priora statuta etiam ab vxoribus se contineant*. Afri latinè dixerunt priora statuta; qui Canones græcè transtulit dixit: ἰδίους ὅρους. Plessæus imperitè argutatur Canones Africanos primum fuisse grçcè conceptos, postea latinè versos. Sed refellitur à Iustello præfat. in Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ: *Falluntur*, inquit, *qui existimant Africana Concilia græcè potius, quàm latinè scripta primum fuisse. Natiuus enim sermo Africanorum Conciliorum, vt & Sardicensis, quum in Occidenti celebrata sint, latinus est non græcus, vt tradit Dionysius exiguus in Epistola, quam suæ collectioni præfixit. Dionys. Alexandrinus apud Eusebium de Nouato loquens, & Concilijs contra illum in Occidente celebratis, Synodicam Epistolam Concilij Carthaginensis*

A.D.CCLIV. sub Cypriano habiti Latino sermone scriptam fuisse testatur his verbis: Epistolæ quando Cornelij Episcopi Romani scriptum ad Fabium Episcopum Ecclesiæ Antiochenæ ad nos peruenerunt; quæ tum auctoritas Concilij Romæ habiti, tum quæ ab omnibus in Italia, in Africa, neque alijs locis de eo errore decreta erant, euidenter declarant. Aliæ item extant Epistolæ latino sermone à Cypriano, & alijs, qui cum illo erant in Africa composita. Nec verisimile est Africanos Patres in suis Concilijs græcè locutos. Augustinus enim, qui omnibus ferè interfuit, quæ sua ætate celebrata sunt, puer græcas litteras oderat, vt fatetur l. 1. confess. c. 13. & 14. Ad has iam senex redijt, non magno tamen progressu, nec illarum tam peritus, vt græcè dicere, vel scribere tam facilè posset. l. 2. contra Petilianum c. 38. Ego quidem græcæ linguæ per parum assecutus sum, & propè nihil. Possidonius in vita Augustini c. 5. Valerium, qui ante Augustinum Episcopus Hipponensis fuerat, quod homo græcus esset, & latinè parum intelligeret, ad populum docendum, munusque suum exequendum minimè aptum, habilemque fuisse scribit. & Augustinus in Epistolam tract. 2. ait Donatistas duas solùm linguas probasse, latinam & punicam, idest Afram. Istæ duæ linguæ solæ sunt

in

in parte Donati, plus non habent. Hæc ibi Iustellus, ex quibus refutatur Plessæi opinio de lingua greca, in qua fuerint confecti Canones Africani.

De pallio, de Ascetis, quales fuerint tempore Tertulliani. Cap. XXXV.

CLaudius Salmasius in pallium Tertulliani significat, sed obscurè quid sentiat de vita monastica. Ait pallium solitum suscipi non ab omnibus, aut Clericis, aut laicis, sed ab Ascetis solis. per Ascetas intelligit eos, qui κατ' ἀκρίβειαν solebant χριστιανίζειν. Ita ait etiam vocatos apud Gentiles eos, qui rigidè obseruarent pręcepta philosophię. pallium ait non indutum fuisse ab omnibus Clericis, sed à nonnullis tantum, ijs scilicet, qui magis obseruabant pręcepta Christi. Itaque inter Clericos, & laicos fuisse Ascetas, non tamen habuisse societates cum certis legibus, & regulis, vt subsecutis temporibus habuerunt. solitos illos emittere votum continentię, castrare se propter regnum coelorum, abstinere à multis cibis, à vino, à carnibus, alijsq. magis nutrientibus,

tibus, & calidioribus cibis. Erant itaque multi Clerici regulares, hoc est ἀκριβῶς χριστιανίζοντες, erant etiam multi ex plebe, erant etiam fœminę, quę obseruabant istum rigorem. Hinc licet colligere discrimen inter Ecclesiam antiquam etiam tempore Tertulliani, & inter cœtus Caluinianos. Nam tunc temporis multi habitu, incessu, hirsuto, & rudi vestitu superabant communem viuendi modum. Cur igitur Caluiniani irrident Catholicos, quorum aliqui incedunt colore albo, alij nigro, alij alio, Ascetę nempe, quos nos Religiosos vocamus. Certè dum eiusmodi vestitum irrident, imitantur Gentiles, aduersus quos asserit ruditatem pallij tanquam vtilem Tertullianus. At inquies, etiam philosophi induebantur pallio. Quid tum vero, si nonnulli ita induerentur vt viderentur philosophi, licet reuera procul abessent à vera philosophia, an propterea exsibilandi, & subsannandi sunt, qui Christum imitantur, & Apostolos rudi habitu? pręterea obseruabant isti virginitatem, & perpetuam continentiam. At Caluiniani putant seruatu esse impossibilem. Aiunt vota esse propria veteris Testamenti. Nō minus esse acceptos Deo coniugatos, quàm sint Virgines, & eunuchi, qui se castrant propter regnum cœlorum. Ad hęc Caluiniani clamant

non

non debere haberi vllum delectum ciborum in ieiunijs, sed promiscuè omnia comedenda. At Tertullianus fatente Salmasio, ait Ascetas suo tempore abstinuisse à carnibus, à vino, alijsque. Absunt itaque cum suo Reformato, scilicet cœtu Caluiniani à forma Veteris & primitiuæ Ecclesiæ, ad cuius tamen hypotyposin volunt videri vulgò omnia sua conformare.

De vestitu rudi, & hirsuto Monachorum, assertus is aduersus Nouatores. Cap. XXXVI.

HAeretici, quibus omnis austeritas certa animi sententia suscepta, displicet, quiq; nihil extra ordinem sibi faciendum putant ad domanda carnis recalcitrantis contra rectam rationem vim, fatuos & stolidè simplices iudicant eos esse, qui rudi, & hirsuta veste induuntur, vt Capuccinos, aliosq. rigidioris instituti religiosos viros. At mos iste non communi, & delicato vestitu vtendi descendit ab vsu antiquissimo Ecclesiæ Christianæ, apud quam tam Clerici, quàm laici, qui seuerè, & rigidè volebant χριστιανίζειν dimissa toga, suscipiebant pallium tamquam veri philosophi, ob eamque rem

rem subsannabantur à Gentilibus. Quod ex Tertulliano obseruant ipsi Nouatores, & explicat Claudius Salmasius notis ad librũ Tertulliani de pallio pag. 9. & seqq. *Hi sunt philosophi Christiani, qui pallium habitabant. Ambrosius Epist. 37. & quum ipsi (Aegyptij) capita, & supercilia radant, si quando Isidis suscipiunt sacra, si fortè Christianus vir attentior sacrosanctæ Religioni vestem mutauerit, indignum facinus appellant. Non de quolibet Christiano ita loquitur Ambrosius, sed de eo, qui sacrosanctæ disciplinæ attentior esset: per quæ verba omninò* τὴν ἀσκητὴν *designat, hoc est,* τὸν ἀκριβῶς χριστιανίζοντα, *vt loquitur Socrates l. 7. c. 37. hist. eccles. de Siluano. Ex quo colligitur omnes Ascetas* καὶ ἀκριβῶς χριστιανίζοντας, *& attentiores sacrosanctæ disciplinæ, vestem mutare olim solitos fuisse, & pallium philosophi sumere. quod minimè tamen fecisse Siluanum obseruat Socrates, & hoc tamquam nouum in illo notat. pallium igitur, de quo hic agitur, & qui titulus & materia est huiusce Tertulliani operis, non commune omnium græcorum erat gestamen, vt nec omnium olim Christianorum, sed propriè* τὸ τῶν φιλοσόφων σχῆμα, *propter eaque hunc etiam habitum sibi vindicarunt, è Christianis qui* φιλοσοφικώτερον *in vna Religione versarentur. Hieronymus in Epist. ad Mar-*

Marcellam: Nos quia serica veste non vtimur, monachi iudicamur: quia ebrij non sumus, nec cachinno ora dissoluimus, continentes vocamur; & tristes, si tunica non canduerit, statim illud è triuio, Impostor & græcus est. *Hi nimirum erant, qui hoc scommate taxabantur,* ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, *quique digito ostendebantur, philosophi nempe Christiani, hoc est Ascetici viri, qui pari cum Græcis philosophis amictu, malè quoque propter illos audiebant.* ibid. *Nec pallio porrò tantùm, sed etiam sordibus & squallore insignes tam philosophi, quàm Ascetæ Christiani. Hinc illud Hieronymi: Si tunica non canduerit, statim illud è triuio, impostor & græcus est, quod de philosophis, & præcipuè Cynicis accipi debet.* & paulò post: *olim Monachi quam semel tunicam induissent, numquam exuebant, priusquam penitus tota vsu detrita & scissa esset, ac de altera habenda cogitandum foret. Hieronymus in vita Hilarionis: Saccum quo semel fuerat indutus numquam lauans, & superfluum esse dicens mundicias in cilicio quærere: nec alteram tunicam mutauit, nisi prior penitus scissa esset.* Hæc Salmasius.

Noua-

Nouatores dum Monachos contemnunt, imitantur non veteres Christianos, sed Gentiles. Cap. XXXVII.

QVod hæretici Monachos ob squallorem vestium insectantur, & alia sancto instituto annexa, quæ procul absunt à delicatorum hominum viuendi ratione, & scommatibus diuexant, faciunt non sine exemplo, sed Gentilium, sed iuratorum Christi hostium, sed remotissimorum ab Euangelica politia. Quod verò in eiusmodi contemptu Monachorum non imitentur veteres Christianos, sed Gentiles id ipsi hæretici non diffitentur manifestis testimonijs edocti, vt obseruat Cl. Salmasius in notis ad Tertulliani librum de pallio. p. 11. *Rutilius*, inquit, *Gallus in Itinerario illuuiem & squalorem Monachorum non semel exagitat: de Capraria ita scribit:*

Squallet lucrifugis insula plena viris.
Hi sese Graio monachos cognomine dicunt:

& alio loco de Solitario:

Infelix putat illuuie cœlestia pasci,
Seq. premit sæuis sæuior ipse deis.

Et

Et hæc, inquit Salmaſius, *cauſa eſt, quamobrem Eunapium putem Chriſtiani nominis infenſiſſimum hoſtem in libro de vitis philoſophorum, de Monachis ſui temporis dixiſſe* ὑώδη βίον *eos viuere, quod illud animal munditiem, & ſordes in amoribus, ac delitijs habeat, lutoque & olenticetis præcipuè gaudeat.*

Verſiculum illum Rutilij adducunt vitæ Monaſticæ hoſtes, vt inſtitutum vituperent. At meminiſſe deberent verſiculum eſſe Rutilij Gentilis non Chriſtiani, vnde dum vtuntur eiuſmodi teſtimonijs aduerſus vitam Monaſticam produnt ſe imitatores veterum non Chriſtianorum, ſed Gentilium. Veteres namque Chriſtianos ſolitos vti ſquallida, modeſta, & ſimplici veſte, aut ſi non vterentur conſueuiſſe approbare in ijs, qui rigidiores erant, liquet ex alia mea obſeruatione, ad quam addo alia ex eodem Claudio Salmaſio p. 12. ad pallium Tertulliani. *Qui ſæculo, ſæculiq. negotijs renuntiarant, quique ſanctiore vita in ſeceſſu frui præoptabant, vt Clerici olim ferè omnes & Monachi, eorum hominum habitum adamaſſe, & adpetiſſe iure meritoq. videntur, qui & ipſi de populo ſeceſſerant, ſibiq. viuebant, quales fuere tum philoſophi. præterea cum ex omni veſtimentorum genere, quod in vſu promiſcuo tunc fuit,*

mode-

modestissimum & simplicissimum pallium philosophorum esset, illud præcipuè sibi habendum delegisse modestiæ, & simplicitatis sectatores egregios maximè verisimile est. Adde quod & Apostolorum æmulatione, quorum vitam imitabantur, hunc habitum eos vsurpasse non longius à vero sit, nisi sit etiam fortasse verius. Apostolos autem non togatos, non chlamydatos, non lacernatos, aut penulatos, sed palliatos fuisse constat. Hæc ibi Salmasius.

De quibusdam exercitijs Monachorum. Cap. XXXVIII.

Ascetæ Christiani semper consueuerunt exercere corpus suum, affligere, & varijs modis vexare ad domandas carnis cupiditates, vacandumque attentius cultui diuino, & in primis precibus, & rerum sacrarum meditationi. Eiusmodi exercitia Catholicorum tamquam inutilia, superstitiosa, imò impia audent Nouatores explodere, & reijcere. Non possunt verò negare morem huiusmodi esse valdè antiquum, & frequentissimum apud Christianæ pietatis cultores. Audiamus verba Casauboni p.61. ad Apparatum Annalium Cardinalis Baronij:

ronij. *Sed longe*, inquit, *ingeniosiora sunt, quæ de Ascetis tam Iudæis, quam Christianis apud Veteres legimus. Isti enim sicut Canonicam refectionis horam habuerunt, sic & Canonicum somni tempus, & mensuram, vt loquitur Cassianus. Igitur partim ad vexandum corpus, & eam quæ patribus dicitur* σκληραγωγία *partim ad vincendum somnum fuerunt Ascetis in vsu* χαμευνίαι, *humicubationes*, & στιβάδες χορτόστρωτοι *herba aut fœnum loco culcitæ, mattæ, storeæ, psiathia, & masortes, & melotæ, ac similia his ad incubandum, itẽ apud Cassianum embrimia, collatione prima, capite vltimo, cuius vocis etymum nescit se scire Scaliger. Suspicabamur tamen nos* ἐμβρίμια *dicta* παρὰ τὸ βρίζειν, *quod dormitare & somnum leuem capere significat. propriè est* μετὰ τὴν βορὰν ἵζειν *post sumptum cibũ residere, &c. Ascætæ sua embrimia fasciculis stipulæ farta, vel papyro (vt apud Philonem de Essenis) aut duro tomento, vel simili materia sibi parabant ad somnum nocturnum, &c. Igitur ad hoc institutum, quod narrat* Epiphanius *de pharisæis Ascetis tabulæ dodranti, siue palmi vnius maioris, incubare solitis: quorum exemplum transisse ad primos Christianorum Monachos non dubito: simillimum enim est, quod de sua, & Basilij Magni matre, sanctissima & admirandi*

 exem-

exempli fœmina B. Macrina refert. Gregorius Nyssenus in Epistola lectu dignissima ad Olympium Ascetam, nondum edita inter illius patris opera, nobis aliquando magna cum voluptate lecta in Regis Christianissimi bibliotheca: Hæc ibi Casaubonus.

De Priuilegijs, & exemptionibus Monachorum. Cap. XXXIX.

QVod Summi Pontifices Romani consuescunt largiri priuilegia Monasterijs nonnullis, eaq. immediatè sibi subijcere, id etiam impugnant Nouatores, aiuntque nuperum id esse inuentum ad amplificandam potentiam Romanę Ecclesiæ. Sed eiusmodi mos est antiquus, illis temporibus receptus, & vsu comprobatus, in quę non audent manifestis conuicijs, & maledictis irruere sexto nempe sæculo, quando S. Gregorius pręsidebat Ecclesiæ; Is enim largitus est priuilegium Suessionensi Monasterio; quod nulli voluit esse subiectum, præterquam Sedi Apostolicę. Obseruant hoc ipsi Magdeburgenses Centuriatores, recitantque illud priuilegium in compendium redactum centuria sexta: *Exemplum*,

inquiunt,

inquiunt, *priuilegiorum Monasterij in Suessorum Ciuitate, quod Gregorius dedit, extat in libro eius duodecimo capite 32. Capita sunt. I. Ne donata ei Monasterio cuiquam fas sit abalienare. II. ut Monachi habeant potestatem eligendi Abbatem, & ordinandi. III. Fontium consecrationes, & scrutinij mysteria in ipso Monasterio celebrent. IV. Chrismatis, Olei, Altaris, Calicis, Corporalis benedictionem, à quocunque Pontifice expetant. V. sit Caput Monasteriorum Galliæ, nulliusq. ditioni subsit. VI. Tantum Pontificibus Romanis pareat. VII. Rector Monasterij fiat, & altarium Præsul. VIII. si Abbas ob causam capitalem deponendus sit, non prius id fiat, nisi Pontifex Romanus ratum id fecerit. Et in eo iudicio sint tres Metropolitani cum suffraganaeis, & Abbates quamplurimi. Accusatores cum duodecim testibus adsint.* Hactenus Centuriatores. Si Nouatores hic pergant esse molesti, & aliquid obijcere aduersus factum Gregorij Pontificis, regeram fuisse Gregorium virum sanctum, ab iniustitia, à fastu remotissimum, humillimum, quod vel inuiti Aduersarij Sedis Romanæ fatentur. Audiamus Casaubonum exercit. 16. sect. 144. *Fuit*, inquit, *non solum cognomine, sed rebus ipsis magnus, & sanctus, ac verè sui sæculi, prope iam ferrei, phœ-*

 nix.

nix. Nos quidem ita censemus, & cur ita censeamus, causas parati sumus reddere. Hæc Isaacus Casaubonus de S. Gregorio.

Quod non sit Ecclesiasticum regimen penes Principes Sæculares. Cap. XL.

HAeretici huius temporis præsertim Angli Protestantes adscribunt Principibus sæcularibus summam authoritatem disponendi de rebus Religionis, & hominibus, qui eam exercent, adeò vt cura & Regimen Ecclesiæ præcipuè ad eos pertineat. Hic error refutatur sensu & praxi veteris Ecclesiæ, de qua adducam ipsorum hereticorum testimonia, qui non possunt negare Veteres agnouisse regimen Ecclesiæ non esse penes principes sæculares. Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus schismaticus sic scribit in censura sua ad Confessionem Augustanam Lutheranorum c. 13. *ordinationes apud nos non alio modo fiunt, quàm eo, quem sacri præscripserunt Canones. Et de Episcoporum quidem ordinatione primus Apostolorum Canon hæc docet: Episcopus ordinetur à duobus vel tribus Episcopis. presbyter verò ab*

vno,

vno, Diaconus ita, & alÿ eodem modo, &c. Non licere autem sæcularibus principibus de Episcopis, aut sententiam ferre, aut illis deprauato veteri more, qui à S. Concilÿs abrogatus est, manus imponere, & Canon Apostolicus docet: Si quis Episcopus sæcularibus potestatibus vsus Ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur, & à communione separetur, & omnes qui illi communicarunt.

Episcopi, imò & Monachi ex data sibi authoritate possunt ciuilia munera obire. Cap. XLI.

VIris Ecclesiasticis res temporales curare non licere existimant Nouatores, sed falluntur grauiter, constat enim non rarò solitos Episcopos ciuilia munera obire, lites finire, rem ipsam publicam administrare, vt & ipsi hostes Ecclesię Romanę fateri coguntur Theodorus Balsamon, quem edidit Christ. Iustellus in Can. 4. Concil. Chalcedon. *Iam verò Ciuitatis Episcopum oportet*, inquit, *Canon Monasteriorum curam gerere. Nota ergo quod*

 Mona-

Monachi illic perseuerare, & permanere debent, vbi nuntium sæculo remiserunt, seu tonsi fuerunt: & quod ex permissione Episcopi possunt Monachi, non solùm Ecclesiastica negotia administrare, sed ea etiam, quæ ad vitam pertinent, hoc est, ciuilia. Si autem hoc potest facere Episcopalis permissio, id multò magis faciet potestas Imperialis, quæ etiam Episcopos promouet. propterea enim, vt est consentaneum, ille etiam Metropolitanus absque vllo impedimento Imperij negotia administrabat in personam Imperatoris Domini Michael Ducæ. Quin & ille Neocæsareæ Metropolitanus, maritima ciuitatis iura conscripsit: Et alij etiam Antistites, & Monachi Imp. & publica munera similiter exercuerunt.

De Iure patronatus Ecclesiastico quam sit antiquum. Cap. XLII.

NIhil profectò in Ecclesia, nihil in Republica ambitione est perniciosius. Illa motus Caluinus, & Caluini de grege politici, nomen reformationis prætexentes molitionibus,

bus, quibus satagebant, euersis omnibns antiquis iuribus sibi imperium parare, vbi pedem fixerunt non solum Clericis fuerunt infesti, verum etiam laicis plurima eripuerunt, interque illa ius patronatus ijs concessum initio, qui suis impensis extruxissent templa, eisq. assignassent reditus, quibus commodè alerentur illi, qui sacris operarentur. Vt vero facilius in iure isto tollendo imponant ignaris populis, aiunt, ius huiusmodi nuperum esse, valdeque recens inuentum Pontificum Romanorum. Eos verò hac etiam in re splendide mentiri, docet ipse Hugo Grotius in suo Apologetico pro ijs, qui Hollandiæ præfuerunt, cuius verba adscribam, vt nouerint Aduersari j quam sit antiquum ius patronatus. sic itaque ille p. 147. *Veniamus*, inquit, *ad ius quod patronatus dici solet ijs concessum initio, qui ære suo ædificaßent sacras domos. Pastorum quidam aduersus hoc ius libros scripsere, præcipue apud Frisios Translauicanos, vbi ius hoc vsu viget. Sed vbi venitur ad probationem &c. subsidunt argumenta, vt ab Episcopo VVentoniensi latè probatum est, vbi & hoc quærit quæ ratio, quæ authoritas nos cogat talem potestatem senioribus, qui vocantur deferre potius quam viris eminentibus, quales esse solent, quibus competit ius patronatus. Neque*

verò in Anglia tantum, sed & in Palatinatu id ius in vsu est &c. Sed neque nouitium hoc commentum est, nec vt quidam contra historiæ fidem prodiderunt à Pontificibus Romanis inuentum. Nam circa annum IↃXLI. Iustinianus, circa annum IↃLV. Synodus Toletana, ac post Carolus Magnus ius hoc suis constitutionibus confirmarunt. Quanti autem apud nos hoc ius æstimatum antiquitus fuerit multis documentis apparet. In legibus concessis Lugduno Batauorum ita loquitur Vuillhelmus Hainaius Comes Hollandiæ: præterea cum ius patronatus Ecclesiæ de Leiden ad me pertineat pleno iure, atque consanguineus noster Comes Florentius, cuius animam Deus habeat, bona fide pollicitus sit, & promiserit quod cedente, vel decedente Magistro Gerardo iam dictæ Ecclesiæ Rectore duos presbyteros idoneos successiuè, & perpetuò ad dictam Ecclesiam præsentaret. & quæ sequuntur. In pace facta cum Vestfrisijs anno CIↃCCXCIX. extat hoc caput: Collationes omnium Ecclesiarum in Vestfrisia ad nos, & successores nostros perpetuò pertinebunt; nisi quatenus Episcopus Traiectinus, & Abbas Egmondanus probare poterunt sibi id ius deberi. Eiusdem æui, aut antiquiora etiam sunt documenta, quæ ostendunt idē ius in Zelādia valuisse, vt Middelburgi, Zi-

rizææ

rizææ, Goesæ. Inter cætera an. MCCCXXVIII. Comes ita loquitur: Cum Collatio Ecclesiæ Vestmonasteriensis in oppido Middelburgo nostra sit, vbi ea Ecclesia vacabit, nostrumq. oppidum, & oppidani Middelburgenses precibus suis nobis commendabunt virum probum, & placidum, si nobis videbitur, eum Ecclesiæ & oppidanis vtilem fore, ita vt animi nostri religioni in eo promouendo satis possimus facere, libenter amore Dei, & ad preces oppidanorum Ecclesiæ ei conferemus. VVilhelmus Baioariæ Dux in accusatione sua aduersus Abbatem Middelburgensem hoc etiam ponit: Quamuis multæ Ecclesiæ sitæ sint intra officium multorum officiatorum, quapropter collatio dictarum Ecclesiarum ad eos officiatos spectat, quod ipsum conferendi ius Abbas Oliuerus, & alij ante eum Abbates non attentatum officiatis reliquerunt, acceptantes eos qui præsentabantur, cum præsentarentur, hic tamen Abbas id recusauit, & ei iuri contradixit, vnde lites & controuersiæ multæ ortæ sunt, quin etiam homicidium, quæ res ad nostri, & officiatorum fraudem pertinent. Verba Philippi de Leidis, qui in Hollandia natus iurisprudentiam in Gallia professus est, quo tempore Villhelmus, & Adelbertus Baioarij Hollandiam regebant antehac in alio opere à nobis producta sunt. Inter iura

Comi-

Comitatensia in rerum fiscalium inuentario inuenitur notitia Ecclesiarum, in quas Comes haberet ius patronatus.

Libri Hæreticorum abolendi, Christianorum Imperatorum de hac re edicta laudata. Cap. XLIII.

HAeretici non solùm sermone, qui serpit, vt cancer, sed etiam libris propagandæ suæ sententiæ sedulam nauant operam, hinc magnopere cuperent Catholicos permittere, vt vbique scripta, quantumuis impia, possent imprimi, diuendi, & ab omnibus promiscuè legi, ex quo cùm maximum damnum secuturum esset (nullum namque, vt quidam ait, venenum præsentius malo libro) Ecclesia Romana quantum fieri potest in id incumbit, vt nusquam huiusmodi pestiferi fœtus in lucem prodeant, aut si prodierint, quamprimum aboleantur. Facit hoc pia & prudens mater, mota etiam exemplo veteris Ecclesiæ, cum qua illam conspirare, vt in cęteris, ita etiam hac in re volentes nolentes fatentur Aduersarij. Schlusselburg

selburg in Theol. Caluin. art. 1. *Ex Nouo Testamento, & primitiuæ Ecclesiæ historia, & eorum successorum, certum est, non tantum malorum librorum lectione suis auditoribus interdixisse, verum etiam huiusmodi libros comportatos coram omnibus exussisse.* Ibid. *Falsissimum est ergò, quod Lauaterus affirmat librorum suspectorum, & impiorum prohibitionem esse contra manifestam Apostolorum doctrinam, & morem Veteris Ecclesiæ &c. hunc morem comburendi libros semper in Ecclesia Dei obstinatissimè vsurpatum, & retentum fuisse à SS. Patribus, id quod apparet, quod multorum Hæreticorum nomina, & errores recensentur, quorum tamen scripta non extant.* Ibid. *Tempore Marciani Imperatoris in Concilio Chalcedonensi decretum est vt comburerentur libri Manichæorum, Nestorianorum, & Eutychianorum.* Idem in refutatione orthodoxi consensus: *Iam quod conqueruntur aliquibus libris Zuinglij, & Caluini loco datum non esse, vel Theodosii, Valentiniani, Marciani Imperatorum exempla, qui ne quis Nestorianorum, Eutychianorum, & Apollinistarum libros describi, aut legi edixerunt, nostrum principium mandata excusant.* Andr. Libauius: *Qui veterum fuit in pietate feruor eiusmodi libros cum authore exussissent.*

Luthe-

Lutherus de Iure Canonico abolendo: *ſemper receptum fuit, vt libri pernicioſi flammis abolerentur.*

Hæretici non eodem iure vti debent in Republica, quo gaudent Catholici Ciues. Cap. XLIV.

VOlunt hæretici fas vnicuique debere eſſe in Republica, quamcunque demum Religionem profiteatur, eodem iure gaudere, quo vtuntur quilibet è ciuibus, in emptionibus, venditionibus, hæreditatibus capiendis, inſtituendis hæredibus. At veteres Chriſtiani non tantum iuris in Republica tribuerunt hæreticis, vt liquet ex ijs, quæ obſeruat Chriſtophorus Iuſtellus ad commonitorium, quod acceperunt Legati Epiſcoporum Catholicorum Africæ contra Donatiſtas, quod inter alia etiam hoc continebat: *Petendum etiam, vt lex, quæ hæreticis, vel ex donationibus, vel ex teſtamentis aliquid capiendi, vel relinquendi denegat facultatem, ab eorum* (ſcil. Imperatorum) *pietate hactenus repetatur, vt eis relinquendi, vel ſumendi ius adimat, qui pertinaciæ furore cæcati, in Donatiſtarum errore perſeuerare*

rare voluerint. Ad quod Commonitorium hæc annotat Iustellus: *Duæ*, inquit, *de ea re extant Theodosii leges, prima ad Eutropium P. P. Euchario, & Siagrio Coss. hoc est ann. CCCXXCI. contra Manichæos lata l. 7. C. Th. de hæret. Si quis Manichæus Manichæaue ex die latæ dudum legis, ac primitus à nostris parentibus in quamlibet personam condito testamento, vel cuiuslibet titulo liberalitatis, atque specie donationis transmisit proprias facultates, vel quisquam ex his aditæ per quamlibet successionis formam cum latione ditatus est, quoniam iisdem sub perpetua iustæ infamiæ nota testandi, ac viuendi iure Romano omnem protinus eripimus facultatem, neque eos relinquendæ, aut capiendæ alicuius hæreditatis habere sinimus potestatem totum fisci nostri iuribus imminentis indagatione societur. Altera ad Flauianum P. Titiano, & Symmacho Coss. hoc est A. D. CCCXCI. C. de Apost. Hi qui sanctam fidem prodiderunt, & sanctum baptisma hæretica superstitione profanarunt: à consortio omnium segregati sint, à testimoniis alieni testamenti (vt iam ante sanciuimus) non habeant factionem, nulli in hæreditate succedant, à nemine scribantur hæredes. Rursus ad petitionem Ecclesiæ Africanæ hæ Theodosii sanctiones ab Honorio expetitum,*

& con-

& confirmatæ sunt l.4. C.Th. de sanct. baptism. iter. sciant ij, qui iterare baptisma non timuerint, aut qui consentiendo hoc facinus propriæ societatis permixtione non damnauerint, non solum testandi sibi, verum adipiscendi aliquid sub specie donationis, vel agitandorum contractũ in perpetuum copiam denegatam. Dat. pridie Idus Februar. Stilicone II. & Anthemio Coss. hoc est A. D. CCCC V. Hæc ibi annotat Iustellus.

SS. Cœlites res nostras norunt, & quibus modis. Cap. XLV.

VT Sanctissimum, vtilissimumq. Christianorum institutum, Inuocationis nempe Sanctorum cum Deo in cœlis gloriosè regnantium euertant hæretici, omnes admouent machinas. Principiò aiunt Sanctos Cœlites nostras preces non audire, imò nihil eorum, quę hic apud nos geruntur nosse, ludi proinde operam nostram in fundendis ad eos precibus. Consulamus in hac quæstione eos, qui antequam vlla super eiusmodi precibus moueretur lis inter partes, scripserũt. Petrus Molinæus Minister hæreticus in Scuto fidei p. 244. part. 1.

D.Au-

D. Augustinum tanquam secum sentientem aduocat, sed ille ipse ibi loci eum iugulat. Verba Molinæi, & cum ijs D. Augustini c. 29. de spiritu & anima p. 419. Il dit, che peut estre: *Quod possit fieri, vt Sancti sciant aliquid eorum quæ hic fiunt ex relatione eorum, qui hinc transeunt ad eos: vel quod Angeli aliquid ipsis dicant, vel quod Deus aliquid ipsis reuelet: non quidem omnia, sed ea quæ decet ipsos scire*. Locus integer D. Augustini sic se habet: *Nesciunt quidem mortui quid hic agatur: sed dum hic agitur postea audire possunt ab eis, qui hinc moriendo ad eos pergunt: non quidem omninò, sed quantum sinitur eis indicare, & eos oportet audire. Scire etiam possunt ab Angelis, qui hic nobis præsto sunt, & animas nostras ad illos deferunt. Spiritu etiam reuelante cognoscere possunt, quæ hic aguntur quæ necessarium est eos cognoscere.* Non sufficit Molinæo negare Sanctos quicquam eorum quæ in terris fiunt, scire, sed eò progreditur, vt detorto loco D. Hier. asserat eos omnium eorum, quorum hic cognitionem adepti fuerant, obliuiscantur. At D. Hier. in Esaiam 65. apud Molin. in Scuto fidei par. *1*. pag. 244. in contrarium statuit: *Licet*, inquit, *possit dici, quòd in cœlo nouo, & in terra noua omnis conuersationis pristinæ memoria deleatur, ne*

hoc

hoc ipsum pars malorum sit, prioris angustiæ recordari. Sed ibidem hoc habet: *Obliuiscentur*, inquit, *pristina mala, non obliuione memoriæ, sed bonorum successione, iuxta illud quod scriptum est: In die bona obliuio malorum*.

De Memorijs SS. Martyrum extruendis, detegitur impostura Caluinianorum. Cap. XLVI.

SEmper fuit in more Ecclesiæ Catholicę sacras domos non solum Deo, sed etiam Sanctis ędificare, & dedicare. Manifestum est id ex Concilijs & Veterum Testimonijs, vt videre est apud Illustrissimum Cardinalem Bellarminum lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 4. vbi citat Concilia Gangrense, Cabilonense, Carthaginense, & patres Cyrillum, Basilium, Nazianzenum, Nyssenum; Theodoretum, Ambrosium, Augustinum, & alios. Caluiniani, vt simplicioribus fucum faciant aliqua dicunt de discrimine templi, & memorię, postulantque Catholicos Idololatrię eò quod templa Sanctis ędificent, & dedicent Amandus Polanus in sua

sua symphónia Catholica adducit aduersus Catholicos locum D. Augustini de Ciuit. Dei lib. 22. c. 10. vbi sic ait: *Nos autem Martyribus nostris non templa sicut dijs, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus*. Sed hoc testimonium nihil facit contra nos, neque fauet Caluinianis, qui non patiuntur vllas domos sacras erigi Martyribus. Augustinus namque eo loco significat templi erectionem esse cultum latriæ soli Deo debitum, vt videre est etiam lib. 1. contra Maximinum argum. 11. de Spiritu sancto, & libro contra sermonem Arrianorum cap. 20. & idem coniungit templum cum altari, & sacrificio lib. 8. de Ciuit. Dei capit. vlt. docens cui conuenit vnum eorum, & alia conuenire, & contra: & tamen in ijsdem locis Augustinus fatetur, memorias rectè Martyribus ædificari, quæ etiam sunt ædes sacræ ædificatæ, & dedicatæ Sanctis. Caluiniani autem, & in primis Polanus fallunt simpliciores, & aliò torquent verba S. Augustini, quasi velit dicere domos sacras tantùm Deo dedicari, in quibus memorentur etiam gesta Martyrum, vnde dicantur memoriæ Martyrum fieri. At D. Augustinus opponit inter se templa, & Memorias, tanquam duas species domuum sacrarum. Cum

itaque fabricatur domus eiuſmodi ad cultum latriæ deferendum ſine dubio nonniſi Deo poteſt dedicari. Cum verò fabricatur creaturæ, vt Martyri reſpicit cultum duliæ, & ita rectiſſimè ponitur Martyribus, vt diſertè affirmat Auguſtinus: *Nos*, inquit, *Martyribus noſtris memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus*. Memoriæ autem huiuſmodi Sacræ domus erant, in quibus aſſeruabantur reliquiæ Martyrum in honorem, & memoriam Sanctorum Athletarum extructum, vt etiam fatentur ex Nouatoribus Ioſeph. Scalig. in l. de Emend. tempor. Kirknerus de funere, & Gaſpar Barthius in ſuis Aduerſarijs ferè ſub initium. Quæ etiam paſſim baſilicæ vocantur in ſcriptis Sanctorum Patrum Latinorum. S. Ambroſ. lib. 1. ep. 5. ad Felicem Epiſcopum: *Ortus eſt ſermo de baſilica, quam condidit, Apoſtolorum nomine dedicanda*. Hieronym. l. contr. Vigilant. *Ingredere Baſilicas Martyrum*. Auguſtinus lib. de Cura pro mortuis c. *1. in beatiſſimi Felicis baſilica poneretur*. Omitto alia loca. Græci autem Patres promiſcuè vocarunt templa domos ſacras, ſiue in Dei, ſiue ſanctorum honorem extructas. Sic Baſilius in Pſal. 114. vocat ἱερὸν τῶν μαρτύρων. Ex quibus teſtimonijs SS. Patrum damnatur im-

pietas

pietas Caluinianorum, qui basilicas SS. Martyrum euersas cupiunt, aut omninò derelictas, non amplius à nominibus Sanctorum appellandas.

Discutiuntur duæ cautiones, quas ait Ritterschusius adhibendas in veneratione reliquiarum. Cap. XLVII.

CONRADUS Ritterschusius postquam annotauit noonulla ex SS. Patribus de veneratione reliquiarum addit in illa veneratione adhibendam duplicem cautionem: *primo, vt sciamus præcipuum honorem Martyrum non tam in contactu, ac veneratione reliquiarum ipsorum, quam in imitatione fidei, sanctitatisq. consistere, teste ipso Isid. ep. 189. lib. 1. Secundo, Ne pro Sanctorum lipsanis habeamus quæ verè non sunt, sed fraudem atque imposturam hic diligenter caueamus. Exemplum memorabile vide in historia B. Martini apud Sulpitium Seuerum.* hæc ibi Conradus. Vtraque cautio, si rectè intelligatur, admittenda est. Sed latet aliquid. quod hæresin huius temporis in con-

temptu reliquiarum redolet. Ideo enim opponit Ritterſchuſius cultum Sanctorum per contactum reliquiarum, & imitationem virtutum, hancque illi præfert, vt ſcilicet tacitè approbet hæreticorum huius temporis profanam nouitatem, qua fit vt dum verbis profitentur ſe colere Sanctos regnantes in cœlo, imitando fidem, reipſa explodant omnem religioſam pietatem, qua olim cum eſſent adhuc in his terris coluerunt Deum viri ſanctiſſimi, reliquiasque ipſorum conculcent, abijciant, indigniſſimisque modis habeant. Quod itaque attinet ad primam cautionem eam reijcimus ſenſu quidem nouatorum intellectam; ex ſententia verò Catholica, quam explicat S. Iſidorus in Epiſtola citata à Ritterſchuſio ambabus manibus amplectimur. Sic verò ſcribit S. Iſidor. ep. 189. l. 1. *Pulchrum quidem eſt pietatis Martyres votiuis donis ornare, quemadmodum facis, pulchrius autem, ac præſtantius fuerit, eos per ea quæ cum virtute ac laude geſſerunt. Quamobrem quibus ornatum obtuliſti, fac ijſdem quoque mores offeras.* Monet S. Iſidorus quemdam, qui quidem exornabat ſepulchra Martyrum, ſed interim impiè viuebat, vitijsque immerſus, putabatque ſe egregiè functum ſuo munere ſi exornaret reliquias Martyrum, licet quam longiſſimè

ab

ab ijs diſtarent mores. Quem etiam laudat ob honorem quo per dona votiua afficiebat Martyres, dum ait: *Pulchrum quidem eſt pietatis Martyres votiuis donis ornare*. Qua quidem ſententia damnatur impietas hæreticorum huius temporis, qui venerationem reliquiarum nedum ignorant, & omittunt ipſi, ſed etiam Catholicos religioſè honorãtes thecas illas SS. Martyrum irrident, damnantque idololatriæ, & ſuperſtitionis. Si verò pulchrum eſt ò Ritterſchuſi pietatis Martyres votiuis donis ornare, cur Proteſtantes ex quorum numero & ipſe es, eiuſmodi dona ſuſtulerunt, diripuerunt, abiecerunt, exuſſerunt? Licet autem docente S. Iſidoro ſit pulchrum ornare votiuis donis SS. Martyres, pulchrius tamen eſt, eos per ea, quæ cum virtute ac laude geſſerunt colere. Hoc nemo noſtrum negat. Quis enim non videat ſatius eſſe iſta coniungere, dum honoramus Sanctos, vt nimirum eis offeramus votiua dona, imitemur ſanctis operibus, quam omiſſo poſteriori, prius tantum illud adhibere? Hoc namque fine extruimus memorias Martyribus, vt incitemur ex virtutum ipſorum conſideratione, ad præclara pro gloria Dei certamina. Hæretici verò huius temporis vtrumq; honoris genus omittunt, dum reliquias Sanctorum

ctorum spernunt, & more suo ignoto veteribus Sanctis vitam instituunt. Si verò S. Isidorus meritò succenset illi, qui omissa sanctitate vitæ solum honorabat Sanctos extructione martyriorum, & oblatione donorum, quid diceret si videret Protestantes vtrumque tam profanè omittentes? Hęc lubuit annotare ad primam cautionem. Ad secundam quod attinet nos lubenter illam adhibemus propterea tam exactè in Ecclesia Catholica discutiuntur mores, vita, mors eorum, qui referendi veniũt in numerum Sanctorum, & Martyrum, & tam diligenter asseruantur vetera monumenta, vt inde constet de veritate reliquiarum. Cautio verò ista secunda apud Hęreticos otiosa est, cum nullo habito discrimine nullas omninò recipiant reliquias.

An & quatenus aliquæ cœremoniæ Christianorum assumptæ fuerint ex moribus Gentilium. Cap. XLVIII.

VT Religionem Catholicam plebi exosam reddant Nouatores, frequentissimè incul-

culcant omnes penè cœremonias, piosq. ritus, quibus ab antiquissimis temporibus, & ab ipso exordio vtitur Ecclesia in colendo Deo, in celebratione in primis Sacramentorum, à Gentilium superstitiosis sacris translata, ad rem Christianam. Gallus quidam integrum librum de hac re scripsit quem Ethnicum papatum impiè inscripsit. Hinc traducunt Romanam, & Catholicam pietatem tanquam centonem ex vanis rebus Ethnicorum consutum. sed facilè est eiusmodi calumniç occurrere. Dicemus igitur prçcipua, & primaria instituta Religionis Christianç à Christo Domino initium sumpsisse, quç autem secundaria sunt, & accedere solent in eorum celebratione sçpe accommodata fuisse habito delectu ad aliqua, quç moribus gentium, quç nondum Christum agnouerant, obtinebant. Rem exemplo illustrabo. Quod Sancti cum Christo regnantes in cœlo debeant honore religioso coli, & sacra solemnitate, & vacatione certis diebus ab operibus seruilibus, extructis etiam templis in eorum memoriam, hoc à Christo Domino absque dubio traditum fuit Apostolis, & vicissim ab his transmissum ad successores. Quod verò templum quod vocamus Pantheon dedicatum cultui impuro omnium Deorum, fuerit expurgatum, & constitu-

tum honorandę memorię omnium Sanctorum, per quos nomen Christianum celebratum fuit, hoc factum est prudentia sacra, non vana superstitione, vt criminantur hęretici. Eiusmodi verò prudentiam antiquissimorum Antistitum Christianæ Ecclesię velit nolit, laudat ipse Casaubonus, & commendat exemplo S. Pauli. Cęterum de toto argumento piè,& eruditè disseruit aduersus hęreticorum profana cauilla Illustrissimus Cardinalis Baronius, cuius verba hic non possum non adscribere; sic itaque ille tom. 1. ad annum Christi 58. *Cæterum*, inquit, *quis prohibet profana per verbum Dei sanctificata in sacrum transferri vsum? Nonne constat ex Aegyptiorum auro,& argento Dei iussu sacra vasa ad diuinum Dei cultum esse conflata? Multà quidem ex superstitione Gentilitia in Christianam Religionem laudabiliter esse translata pluribus exemplis superius, Patrumq. authoritate sunt demonstrata. Sed quoad lampades, ac cereos, de quibus est sermo spectare videtur, quis iure calumnietur, si quæ olim Idolis (vt ait Hieronymus) eodem modo Martyribus offerantur? Si quæ etiam diebus Sabbathi lucernæ accenderentur in templis, non quòd (vt inquit Seneca) dÿ egerent lumine, sed pietatis ergo, eædem in Dei Genitricis honorem fuerint permutati? Quid*

inquam,

inquam mirum, si inolitas apud Gentiles consuetudines, à quibus eos, quamuis Christiani effecti essent, penitus posse diuelli impossibile videretur, eosdem in veri Dei cultum transferre sanctissimi Episcopi concesserunt. Mirificum illum Gregorium Thaumaturgum id præstitisse, Gregorius Nyssenus testatur, idque alios factitasse, & communi Ecclesiæ vsu receptum fuisse Theodoretus affirmat. Huculque Baronius.

Baptismus instrumentum est diuinæ gratiæ, non tantum signum. Cap. I L.

ZVingliani, & Caluinistę vix honorificentius sentiunt, & loquuntur de vi Baptismi, quàm faciant stolidissimi Anabaptistę, qui Baptismum definiūt esse vicem tesserę militum Christi, signumque, quo dignoscantur Christiani à Gentilibus, Hebręis, Mahumetanisq; negant per eum conferri remissionem peccatorum, disertèque non pauci Caluiniani pronuntiant esse tantùm signum diuinę gratię, remissionis q. peccatorum. Scio Caluinianos aliter etiam, & magis hònorificè de sacramento isto loqui, sed exposui in quam sententiam potissimum

mum propendeant. Longè autem alia tradiderunt nobis veteres SS. Patres de efficacia tanti Sacramenti, vt etiam annotant ipsi Nouatores. Conrad. Ritterschusius p.1.cap.34.num.3. in Nouell. Iustiniani: *Præmitto*, inquit, *laudes Baptismi ex Optato libro 5. p.236. & seqq. Quis fidelium nesciat singulare Baptisma virtutum esse vitam, criminum mortem, natiuitatem immortalem, cœlestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium.* Ecce quod Optato est virtutum vita, criminum mors, natiuitas immortalis, &c. id Caluinistis est signum tantum diuinæ gratię. Paræus de iustific. aduersus Illustriss. Cardinalem Bellarminum non inficiatur dixisse S. Augustinum *in Baptismo omnia peccata remitti*. M. Antonius de Dominis lib.2. cap.4. de Republ. Ecclesiast. num.40. *Refertur à Sozomeno cuiusdam Martyrij dictum ad Nectarium. Tu*, inquit, *ò beate baptizatus recens, & purificatus, & mox insuper sacerdotio auctus es, vtraque autem peccatorum expiatoria esse Deus constituit. Martyrius*, inquit, *Spalatensis, peccatorum expiatorium facit Baptismum. Quod facit per modum sacramenti, & est proximus, & proprius ipsius effectus.*

Refu-

Refutantur Caluiniani, qui negant baptizari infantes, vt in ipsis deleatur peccatum originale. Cap. L.

PElagius ne omnino videretur tollere sacramentum baptismatis, concedebat infantes baptizandos esse, negabat tamen in eum finem baptizandos esse, vt remissionem peccati originalis consequerentur. Eiusmodi nãq; peccatum non admittebat esse. Caluiniani partim sentiunt cum Pelagio, partim ab eo dissentiunt. Et quidem dissentiunt, dum docent infantes concipi in peccato originali: cum Pelagio sentiunt, dum aiunt non esse necessarium baptismum infantibus vt æternam salutem consequãtur. Bezæ verba sunt in Coll. Mompelg. p. 434. *Salutem nostram hactenus à baptismo suspendimus, vt nec ipsius salutis fundamentum ab ea inchoemus, neque eius carentia, sed contemptu hominis à salute excludi arbitremur*. Cæterum Ecclesia Catholica semper cõtra Pelagianos, & Caluinianos sẽsit. Iustellus ad p. 290. Cod. Canonum Ecclesię Africanæ, vbi referuntur octo Canones statuti in Cõcilio Carthaginensi contra

tra Pelagianos, notat his verbis: *Octo Canones qui sequuntur contra Pelagianos in Cōcilio Carthaginensi sub anathemate statutos testatur etiã Epitome Canonum ab Hadriano P. E. Carolo M. Imp. data ann. 773. tom. 3. Concil.* Secundus autem inter illos ita habet: *Itē placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur, vnde sit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt: nisi quemadmodum Ecclesia Catholica vbique diffusa sēper intellexit: propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem veraciter baptizantur: vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* Iã supra adductus Iustellus ad idem Concil. Carthaginense notat ex cap. 52. biblioth. Photij: *Synodus aduersus Pelagium, & Cœlestinum Carthagine in magna Ecclesia*

clesia Fausti habita Honorij Occidentis imperij clauum tenente, præsedit in ea Aurelius Episcopus, & Donatianus Teleptensis primæ Sedis Byzacenæ prouinciæ: Quibus adfuerunt varijs è prouincijs sacerdotio præstantes viri numero CCXXV. damnat hæc Synodus anathemate eos, qui assererent Adamum mortalē esse editum, non autem præuaricationis causa, morte mulctatum, Similiter & eos, qui recens natos infantes minimè indigere Baptismo dicerent. Videmus hic explodi, & tanquam hæreticam damnari sententiam eorum, qui aiunt infantes minimè indigere baptismo, vt faciunt Caluiniani. Nam quod Pelagiani negarent necessitatem baptismi ex eo, quod non admitterent peccatum originale, Caluiniani verò quia putant infantes licet conceptos in peccato originali, sanctificari in vteris matrum antequam nascantur; hoc non tollit quò minus tam hi, quàm illi reijciantur tamquam hæretici à Synodo Africana. Conueniunt namque in neganda necessitate baptismi ad deletionem peccati originalis.

Cur

Cur recens baptizati induerentur vestibus candidis.

Cap. LI.

NΕοφώτιςοι recens illuminati dicebantur in veteri Ecclesia illi, qui recens susceperant baptismum, & Euangelio gloriæ Christi illustrati fuerant. Frequentissimum erat vocare baptismum φωτισμὸν illuminationem. Ad Hebræos sexto scribit S. Paulus, impossibile esse eum, qui semel illuminatus fuerit, si exciderit, posse denuò renouari. Id plerique interpretes explicant de Baptismo, qui iterari, & secundum suscipi non potest. Quia autem in baptismo homo illuminabatur, vnde νεοφώτιςος vocabatur, vt alibi docui ex verbis Fr. Iunij Caluinistæ, ideò ad eiusmodi illuminationem, & illustrationem significandam duo in primis adhibebantur in administratione tanti sacramenti. Primum quidem accendebantur luminaria. Deinde recens baptizati induebantur candidis vestimentis. Id etiam erat signum lucis per Baptismum acceptæ. S. Dionysius Areopagita meminit eiusmodi vestium, eas appellant composito nomine φωτοειδεῖς, & λαμπςύνεσθαι. Iobius apud Photium λαμπςοφοςεῖν, licet possit accipi de lumi-

luminaribus. Istud namque λαμπροφορεῖν frequentissimum est apud Scriptores Græcos, dum res Ecclesiasticas describunt. ἐσθῆτα λαμπρὰν interpretes apud S. Lucam vertunt, splendidam vestem id propriè græca vox significat: magis tamen ex vsu latinè loquentium dixissent candidam. M. Tullius fascias Pompeij cretatas appellat, quas vult intelligi λαμπρὰς à fullone candentes. Vetus interpres dixit albam, bene. Etsi namque propriè aliud λευκὸν, aliud λαμπρὸν, sæpe tamen eæ voces de eodem vsurpantur. hæc annotat Casaubonus in suis exercitationibus, quæ adscripsi aduersus ipsius socios, qui pios ritus in Baptismi administratione à Catholicis adhiberi solitos irridere solent. Cæterum ad rem ipsam quod attinet, & hodie Romæ in vsu sunt vestes candidæ in Baptismo. Quotannis namq; nulli ex Synagoga Hebræorum amplectuntur fidem Catholicam. Eos summus Pontifex, aut alij principes Ecclesiastici, aut etiam sæculares suscipiunt magna humanitate, & fouent liberaliter, induunt verò sericis vestibus candidis, quas aliquandiu gestant ad significandam lætitiam illam, quam perciperunt ex susceptione Baptismi, & lumen, quod per verbum suum, & sacramentum Baptismi in ipsis accendit Deus.

Ex-

Explicantur verba Chryſoſtomi de ſacrificio Miſſæ. Cap. LII.

SI Miſſæ ſacrificium (inquiũt hæretici) poſſet hominì peccatori propitiare Deũ, iã ceſſaſſet offerri, propterea quod homo ſemel à peccato mundatus nullã amplius haberet conſcientiã peccati, non ceſſat autẽ auferri, ergo non poteſt Deum homini propitiare. Reſpondeo hanc obiectionem ſibi facere omnes Commentatores orthodoxos, Chryſoſtomum, Theophylactum, Oecumenium, & eum qui gerit titulum Ambroſij, ac cæteros Latinos, qui hos ſecuti ſunt: qua ex re intelligere licet neque nouum, neque improuiſum eſſe hoc hæreticorum argumentum, ſed ex Catholicis aſſumptum tanquam illuſtre antiquitatis teſtimonium, vel hoc ipſo refellens hæreſin. Caſaubonus in Epiſtola ad Cardinalem Perronium, vt impugnet ſacrificium Miſſæ adducit verba Chryſoſtomi, in quibus continetur hæc obiectio, cui ipſe Magnus interpres ſatisfacit. Conatur probare Caſaubonus ex verbis Chryſoſtomi in Nouo Teſtamento in peractione Sacramenti Corporis & ſanguinis Domini, ſacrificium non eſſe propriè dictum, neq; offerri

offerri aliquid Deo, ſed tantum fieri commemorationem ſacrificij à Chriſto oblati in ara crucis. Vrget enim particulam aduerſatiuam ἀλλὰ *ſed*, in verbis Chryſoſtomi Caſaubonus. Offerimus quidem προσφέρομεν μὲν, ecce primum ait nos offerre, id eſt peragere ſacrificium, ſed corrigit ſeipſum ſtatim, dum ſubdit: ἀλλὰ ἀνάμνησιν ποιούμεθα, ſed memoriam mortis eius reuocamus in memoriam. Supponit verò Caſaubonus tanquam verum, quod tamen falſiſſimum eſt, commemoratiuum ſacrificium non eſſe ſacrificium propriè dictum: Quaſi verò hæc ſimul non poſſint concurrere in eadem actione, vt nimirum ſimul aliquid tamquam hoſtia in honorem Dei offeratur, & ſimul celebretur, & in memoriam hominum reuocetur actio aliqua præterita. Certè ſacrificium erat illud, quo offerebatur, & mactabatur agnus Paſchalis, at illa mactatione ſolemni ritu recolebatur memoria beneficij maximi accepti à Deo, liberationis nempe è ſubiectione Aegyptiaca. Diuus igitur Chryſoſtomus ait primum & quærit: Quid verò non ne quotidie offerimus? vbi vides eum loqui de propria oblatione. Soluere enim vult difficilem quæſtionem, qua quis ſcire cuperet, quomodo quotidie ſacrificium corporis & ſanguinis Domini peragatur, cum ſemel à Chriſto ſcribente

S. Paulo, oblatum fuerit in cruce. Respondet igitur quærenti quomodo offerimus quotidie, & dicit offerimus; quasi dicat habemus nos, & quotidie peragimus sacrificium, & hostiam proponimus in honorem Dei. Vt verò indicet differentiam sacrificij in cruce peracti, & illius, quod quotidie in Ecclesia à Sacerdotibus peragitur, sed peragimus memoriã inquit. Quo nõ corrigit seipsum, non negat quod dixerat, sed extendit, & explicat id quod peculiare est in hoc sacrificio, vt nimirum verum cum sit, non minus quàm illud Christi in Cruce, in eo reuocetur in memoriam mors Christi. Præstat verò audire ipsa diuini, & eloquentissimi Interpretis verba orat. 17. in epist. ad Hebræos: *Quid verò vel non quotidie offerimus? offerimus quidem, sed eius mortem reuocamus in memoriam, & ipsa vna est non multæ. Quomodo vna est non multæ? quoniam semel fuit oblata: illa illata fuit in Sancta Sanctorum. Hoc figura est illius, & ipsa illius. Eundem enim semper offerimus, non nunc quidem alium, sed semper eundem. Quamobrem vnum est sacrificium propter hanc rationem. Quoniam multis in locis offertur, multi ne sunt Christi? Nequaquam sed vnus vbique Christus: qui & hic est plenus, & illic plenus, vnum corpus. Quomodo ergo multis in locis*


cis oblatus vnum est corpus, & non multa corpora; ita etiam vnum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat: illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem eius quod tunc factum est. Hoc enim facite, inquit, in mei recordationem. Non aliam hostiam sicut Pontifex, sed eandem semper facimus, vel potius hostiæ, seu sacrificij facimus recordationem. Græcè conclusio ita habet: μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας. Aduersatiuam particulam μᾶλλον addidit, ne quis audiens nos eandem, sicut Pontificem, Christum nempe offerre hostiam, existimaret nos eodem etiam modo sacrificare, cruente nimirum, quod tamen secus fieri sensus ipse animaduertit. Quare addit: Magis autem, &c. Quasi diceret: Ne quis existimet ex eo quod dixi vnam & eandem esse hostiam tam in sacrificio oblato à Christo in ara Crucis, quam in illo, quod adhuc Ecclesia offert per vniuersum orbem, existimet inquam nos eadem ratione sacrificare, qua Christus seipsum obtulit moriens. Iam enim veram quidem hostiam, corpus scilicet Christi offerimus, sed ita vt non amplius corpus illud occidatur, sanguis à venis separetur, anima corpus relinquat. Eadem namque manente

substantia hostiæ sacrificio hoc corporis & sanguinis Domini non moritur amplius Christus, sed viuente ipso, & gloriosè regnante peragitur memoria mortis ipsius. Hic sensus est D. Chrysostomi, qui facilè à quolibet colligi potest ex verbis iam adductis.

Sacrificium Missæ esse propitiatorium. Cap. LIII.

CVM sacrificiorum alia sint Eucharistica, quibus scilicet Deo aguntur gratiæ pro acceptis beneficijs, alia propitiatoria, quæ offeruntur Deo, vt is nobis ob peccata infensus denuo propitius fiat, & reconcilietur; Nouatores hostes SS. Sacrificij Missæ, & negant esse Sacrificium propriè sic dictum, & præfractè contendunt totam illam actionem S. Eucharistiæ vtcunque & abusiuè posse vocari sacrificium, quia scilicet in eo fit commemoratio mortis Christi, & gratiæ pro eiusmodi beneficio redemptionis peraguntur Deo. Quæ quidem repugnant sacræ Christianæ Antiquitati, de qua ipsi Aduersarij Romanæ Ecclesiæ testantur. Ieremias Patriarcha Constantinop. cap. 13. Censuræ suæ ad Confessionem Augustanam, cum Luthe-

Lutherani dixissent *vsum diuinorum mysteriorum, non solùm eò comparatum esse, vt sint symbola & characteres, atque notæ, quibus populus Christianus, ab his qui foris sunt, distinguantur, sed multò etiam magis, vt signa sint, & testimonia amoris, & beneuolentiæ erga nos diuinæ;* sic scribit ad hæc: *Christus sacram Hierarchiam nobis reliquit, si igitur, inquit, magnus ille in diuinis Dionysius ipsorum Sanctorum preces, vel in hac etiam vita fidelibus iuuandis efficaces sunt, quantò longè maiorem ipsa sacra mysteria, sacraq. sacrificia nobis adferunt vtilitatem? Quanta enim ex omni sacrificio promanet vtilitas, quantumque tremenda hæc arcana, atque sacrificia ad placandum Deum valeant, &c. Deus ab initio mundi demonstrauit, Noe vt placatum redderet Deum (vt pulchrè magnus eam rem explicat Cyrillus) vbi primum de arca egressus est, sacrificium obtulit Deo.*



Cœremoniæ antiquiſsimæ adhiberi ſolitæ in Epiſcoporum ordinatione. Cap. LIV.

IN modo conferendi aliquibus Miniſterium admodum variant hæretici. Alicubi ſolo iuſſu ſęcularis Magiſtratus, Theologiæ Caluinianæ ſtudioſus aliquis adit parœciam, incipitque more recepto concionari, ſicque Miniſter fit nullo præuio examine, nulla ordinatione, nulla cœremonia pręeunte; alicubi Candidati eiuſmodi Miniſterij Caluiniani examinantur ab alijs Miniſtris, & accipiunt facultatem concionandi, cęteraque peragendi per manus impoſitionem. Alij aliter ſe gerunt in eiuſmodi deputatione, quod ſuperuacaneum iudico enarrare. Hoc ſufficiat dixiſſe Nouatores pleroſque omnes ritus in Epiſcoporum, Presbyterorum, aliorumque Eccleſiaſticorum ordinatione ab antiquiſſimis temporibus adhiberi ſolitas aboleuiſſe. Quod certè, moleſtè etiam tulit hoſtis alioqui infenſiſſimus Romanæ Eccleſiæ M. Antonius de Dominis, etſi enim cum cuderet libros de Republica Eccleſiaſtica cogitaret aliquando tranſire ad hoſtes, inter quos ne veſtigium quidem ſupereſt conſecrarionis & ordi-

ordinationis Ecclesiasticæ, non potuit tamen non enumerare eiusmodi sacrum apparatum Ecclesiasticarum ordinationum. vbi obiter notes velim prodigiosam hominis dementiam? eo namque ipso tempore, quo apostasiam meditabatur, & aduersus Catholicos bellum, adque Nouatores omnium piarum cœremoniarum expertes, antiquarumque destructores transitum, illo ipso inquam tempore aduersus seipsum corde hæreticum, & contemptorem antiquitatis disputabat. Dicet aliquis scribebat ista de antiquis ritibus, vt aliquando transiens ad hostes Ecclesiæ Romanæ persuaderet ipsis, vt reuocarent in vsum abolitos illos mores, in alijs verò plurimis decertarent contra Catholicos. Respondeo, potest fieri, vt id animi tunc haberet, sed hoc ipsum erat hominis nimium confidentis sibi, quasi futurus esset tantæ apud hæreticos, homines & ipsos superbissimos, authoritatis, vt rationibus istis moti restituerent abolitos mores. Quicquid verò de hac re sit, audiamus iam ipsum M. Antonium loquentem: *Hanc*, inquit lib. 2. cap. 2. num. 52. & seqq. *Episcoporum deputationem ab Apostolis primùm, deinde & à successione ipsorum perpetuis temporibus in Ecclesia per consecrationem, & cœremonias externas, præsertim*

manuum impositionem fieri solitam facile est ostendere. Canone 1. Apostolorum Episcopus à duobus: aut tribus Episcopis ordinetur. Idem habent Constitutiones Apostolicæ Clementis, quæ cum sint valdè antiquæ, antiquos profectò ritus Ecclesiæ continebunt. Adsunt ibi cæremoniæ de Euangelijs super caput ordinati imponendis, & aliæ. addit actionem capitis Anacletus, quæ est antiquissima. Nam & Basilius Magnus à Gregorio Nazianzeno seniore in Episcopum Cæsariensem unctione sacra etiam adhibita est ordinatus, de qua sic Nazianzeni filius: Nam ad eum vngendum viros pietate claros, ac zelo flagrantes ab exteris regionibus excitauit &c. à manuum impositione, & vnctione; addo etiam & ab illius qui vngebatur capite roboratus. Et de sua consecratione orat. 5. Me Pontificem vngis dignum, &c. Areopagitæ quoque Dionysio tributum opusculum vnctionem ponit expressè, qui & alias cæremonias recenset. Sic Pontifex quidem qui ad perfectionem, virtutemque Pontifice dignam euehitur vtroque genu flexo ante altare supra caput habet libros à Deo traditos, manumque Pontificis. Concilia antiqua plena sunt decretis circa Episcoporum consecrationem etiam cum cæremonijs, & ritibus externis. Carthaginense magnæ in Ecclesia authoritatis, & cui Au-

gusti-

gustinus interfuit quartum, canone 2. Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem super caput, & ceruicem eius, & vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes, qui adsunt Episcopi, manibus suis caput eius tangant, *omitto*, inquit Spalatensis, *innumerabilia testimonia antiquitatis de Episcoporum consecratione, & ordinatione* num. 54: concludit his verbis: *Indubitatum itaque maneat, & manuum impositionem, & alias sacras cæremonias de Apostolis, & Apostolicis viris ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio in deputatione Episcoporum fuisse adhibitas, & à nobis Ecclesiæ sanctæ consuetudine esse adhibendas*. Reprehendit deinde M. Antonius Caluinum his verbis: *Miror*, inquit, *Caluinum dixisse præter manuum impositionem, nihil praeterea cæremoniarum adhibitum se legere. Alias enim legi, & inueniri in vsu antiquissimas cæremonias iam ostendi*. Hactenus Spalatensis.

Sacra

Sacra ordinatio proprij nominis Sacramentum eſt.

Cap. LV.

SAcrum ordinem, quo Epiſcopi presbyteri &c. initiantur, è numero Sacramentorum excludunt hæretici, nuperque adeò prolixè Nouatorum errorem, hæreſimq. grauiſſimam conatus eſt adſtruere M. Antonius de Dominis lib. 2. cap. 4. de Republ. Eccleſ. Adducit, detorquetque plurima Sanctorum Patrum teſtimonia, vt fucum faciat imperitis. Homines verò vanitatem ſufficiet hic detegere pro noſtri inſtituti ratione aliorum Nouatorum teſtimonio. Caluinus licet pleriſque locis duo tantũ agnoſcat ſacramenta, Baptiſmum ſcilicet, & Cœnam, tamen & Scripturæ, & Sanctorum Patrum teſtimonijs manus dare coactus, ſacram ordinationem in ſacramentorum numero reponit, ac priorem de duobus ſacramentis doctrinam excuſat. Quod illis locis ſacramenta tantummodo ſpectaſſet, ac tradidiſſet, quæ omnibus fidelibus eſſent communia. vide l. 4. Inſt. cap. 14. §. 20. & cap. 19. §. 31. Caſaubonus etiam fatetur ingenuè ſacrum ordinem ab antiqua Eccleſia inter ſacramenta relatum. Sic autem ſcribit

p. 562.

p. 562. exercitat. aduersus Baronium: *Ordinationem Episcoporum, & Presbyterorum inter sacramenta vetus Ecclesia posuit, propter impositionem manuum, & Spiritus sancti inuocationem, & acceptionem; quare huius etiam formulas clam habuit, & solis fidelibus notas esse voluit*, citatq. Chrysost. hom. 18. *Qui in sacrum ordinem coaptaturus est aliquem, fidelium preces illo tempore exigit; atque illi assensu suo quæ geruntur comprobant, & acclamant illa, quæ nota habent initiati: Nam apud eos, qui initiati non sunt, omnia retegere fas non est*. *Dionys. sub finem Hierarch. Eccles. Inuocationes, inquit, quæ fiunt in ordinationibus, Scriptura explicare nefas, neque vim mysticam, quæ illis inest; neque etiam fas est ex occulto in communem lucem proferre virtutes, quas Deus per illas operatur*. ibid. *Exposuimus* τὰς τελεστικὰς ἐπικλήσεις, *id est, inuocationes, quæ fiunt in ordinationibus; poteramus accipere generalius de precibus, quæ in omnibus initiationibus, & omnibus Sacramentis fiunt; sed Maximum, & Pachymerem interpretes secuti sumus, qui restringunt generalem vocem ad ordinationes, & interpretantur*, τὰς ἐπὶ τῆς χειροτονίας εὐχάς. *Præter illa, quæ ad Sacramenta pertinebant, fuerunt & alia, quorum cognitio non initiatis non patebat*.

Hæ-

Hæretici huius temporis non habent legitimam vocationem.

Cap. LVI.

SCripſit Antonius Sadeel Caluiniſta librum de vocatione Miniſtrorum, in quo dolet multos eſſe, qui approbent dogmata Caluini, qui tamen nolint obedire Miniſtris, negentque penes eos eſſe Eccleſiam, cum Miniſtri nullam habeant legitimam vocationem, nullam authoritatem quicquam agendi in Eccleſia. Et ſanè inextricabilis eſt error, quo circunducuntur Caluiniſtæ, dum conãtur adſtruere vocationem ſuam, quæ niſi legitima ſit, totũ opus, quod ſuſceperunt aduerſus Eccleſiam Romanam vaniſſimum eſt. Dicimus igitur Caluiniſtas deſtitui vera Eccleſia, cum non habeant Epiſcopos, aliosq. ab Eccleſia legitimè vocatos. Cui namq; ſucceſſit Lutherus, cui Caluinus, cui cæteri? Quomodo etiam Lutherus cum eſſet ſolùm presbyter potuit presbyteros conſtituere? Inauditum certè hactenus in Eccleſia presbyteros à presbytero conſtitui; proprium enim eſt Epiſcoporum presbyteros ordinare. Confugiunt miſerabiles Nouatores ad neſcio quem Apoſtolatum quem Deus in extremo ſeculorum conſtituerit

tuerit in Luthero. Sed nihil profectò proficiunt, quin magis ac magis dementiam suam manifestam reddunt. Quibus omissis alijs sufficiat respondere verbis Marci Antonij de Dominis Spalatensis, quę nituntur authoritate Veterum Doctorum Ecclesię; sic itaque ille lib. 2. cap. 2. num. 52. *docet Cyprianus Nouatianum, ipsiusq. sectam esse penitus extra Ecclesiam, primùm quia in sua ordinatione successionem non habet ab Apostolis, cum non sit ordinatus ab ijs, qui Apostolis succedentes potestatem etiam habeant ministros alios ordinandi. Optatus tractat egregiè hoc argumentum, & ex defectu Cathedræ Donatistas ab Ecclesia excludit, quia nimirum Cathedram, hoc est, potestatem Ecclesiasticam per legitimas successiones ab Apostolis traditam Episcopis, neque acceperant, neque habebant*. Verba ex S. Cypriano citat ibidem epist. 6. *Nouatianus*, inquit, *in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Euangelica, & Apostolica traditione contempta, nemini succedens à seipso ordinatus est. Habere namque, aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est*.

De

De more benedicendi aquam, eaq. aspergendi seipsum, quàm sit antiquus.

Cap. LVII.

IOh. Caluinus l.4. Inst. cap.10. §.20. ait lustralis aquę institutionem nullo modo à spiritu proficisci potuisse, quandoquidem nihil aliud sit, quàm Baptismi profanatio, & quasi repetitio, & cap.15.§. 19. incantationem eam vocat. Antiquam verò esse Centuriatores affirmant, dum eam adscribunt Alexandro primo centur.2.cap.2.fol.121. Marc.Ant.de Dominis de Constitutionibus Apostolicis Clementis loquens ait esse antiquas, adeòque antiquos continere ritus. In illis verò lib.7.cap.44.ita legitur: *Postea venit ad aquam, & benedicit, ac laudat Deum omnipotentem, patrem vnigeniti Dei, &c. & nunc deprecetur sacerdos, &c.* Dicent fortè in hoc loco benedici aquam in vsum Baptismi, quod nō impugnēt ipsi: legant igitur alium locum lib.8.cap.29. *Si Episcopus non aderit, benedicat presbyter præsente diacono: Dicat autem in hunc modum: Domine Sabaoth, Deus virtutum, qui dedisti aquam ad bibendum, & oleum*

oleum ad exhilarandum faciem in exultationem lætitiæ: ipse etiam nunc sanctifica per Christum hanc aquam, & oleum ex nomine eius, qui obtulit, & tribue ei vim sanandi, & depellendi morbum, fugandi dœmones, expellendi insidias per Christum spem nostram. S. Epiphanius ex translatione Cornarij hæretici heres. 30. sic scribit de Iosepho Christiano: *Commotus vir & zelo domini correptus, extra vrbem currit, & vbi aquã in vase afferri iussisset, accepto vase aquæ, coram omnibus magna voce crucis signaculum, proprio suo digito vasi imposuit, & inuocato nomine Iesu sic dixit: In nomine Iesu Nazareni, quem crucifixerunt patres mei, & omnium horum circunstantium fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis, & magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum domini: & sic accepit aquam in manum, & de aqua singulos fornaces inspersit. & dissoluta sunt incantamenta, & ignis coram omnibus emersit. Turbæ verò quæ erant præsentes clamore edito: Vnus Deus, qui Christianis auxiliatur, secesserunt.*

Sit sanè, inquient aduersarij, vetustus mos benedicendi aquam, illaq. aspergendi seipsum, aliaque, superstitiosus tamen est. Respondeo. vt probemus morem eum laudabilem esse, pium,

atque

atque vtilem sufficit nobis probare apud Veteres Christianos in vsu fuisse. Nemo enim nisi à pietate alienus, & rerum sacrarum imperitus audebit veterem Ecclesiã superstitionis insimulare. Cùm Angli audiunt sibi à Geneuensibus exprobrari quod retineant crucis consignationem, cantum Ecclesiasticum, vestes clericales, aliaque, quę appellantur Papismi Reliquiæ à Puritanis, nihil aliud potissimum respondent, quàm illud. *Vetusta sunt*. Idem nos facimus cum Caluinistę damnant aquam lustralem. Iterum dicent, hac ratione quę à vetustate desumitur Gentiles solitos sua defendere aduersus Christianos, impugnasseq. Religionem nostram eò quod esset noua. Respondeo. Rerum Christianarum bonum fuit initium à Deo, à Dei viris per miracula euidentia, illaque fuerunt semper conseruata absque errore in Ecclesia Catholica. meritò igitur reijcimus nouorum hominum figmenta, quia aduersantur ijs, quę tot abhinc sęculis fuerunt à Deo instituta summa cum ratione. Itaque non probamus nostra à simplici & nuda vetustate, sed ab ea, quę cum summa rectitudine coniuncta est, diuina nempè: immeritò verò Gentiles iactabant antiquitatem, cum anilis ipsorum superstitio pessimum habuisset initium, à dœmonibus, ab imposto-

ribus,

ribus, à fabularum conditoribus, à leuibus Poetis, quod dici de dogmatibus, moribusque Ecclesiæ, nonnisi cùm summa impudentia, maximaq. impietate potest.

Sine gratia Christi neminem salutem posse consequi.
Cap. LVIII.

HVldricus Zuinglius sensit, & scripsit etiã Gentiles vt Herculem Theseum, Numam Pompilium salutem æternam consecutos, cum Christo in cœlis degere. Paradoxum hoc ausus est paucis ab hinc annis in Batauia reponere, & denuò defendere Adolphus Venator minister Alcmarianus in sua declaratione, vbi ad asserendam suam sententiam adducit testimonium Zuinglij, necnon Erasmi Roterodami. Repugnat hoc paradoxum Sanctis Patribus veteribus, vt fatetur Casaubonus exercit. 1. nu. 1. ad apparatum Annalium Baronij p. 1. *Verissimum est*, inquit, *quod initio Apparatus sui scribit Illustrissimus Cardinalis Cæsar Baronius, ex omnibus mortalibus, qui inde ab exordio mundi fuerunt, neminem æternam salutem esse consecutum, nisi à Christo, & per Christum*; ad hoc

K con-

confirmandum adducit testimonia S. Augustini p.3. *Credendum sanè*, inquit Casaub. *etiam ante natum è B. Virgine Dominum, alios quoque salutis factos esse participes, paucos qui vel apparent in scripturis, vel in genere humano latent, vt ait B. Augustinus in epistola 99. ad Euodium Episcopum, sed illud quoque simul credendum, neminem vlla vnquam ætate ad spiritualem Ierusalem pertinuisse, nisi cui diuinitus reuelatus fuerit vnus Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, qui venturus in carne, sic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ait idem Augustinus de Ciuit. Dei lib.8.cap.47. & in epist. 28. ad Hieronymum verba illius sunt: Certus sum non esse animam vllam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem mediator Dei & hominum homo Iesus Christus*. Quia verò Nouatores quidam ad paradoxum Zuinglij tuendum abutuntur nonnullis locis D. Chrysostomi, cum summa iniuria illi affingentes tam absurdam sententiam; S. Doctoris verba vindicat Casaubonus. *At qui*, inquit, *Chrysostomus cum ita loquebatur* (quando scilicet aiebat ante aduentū Christi etiam sine confessione Christi potuisse aliquem seruari) *loquebatur de clara & perspicua, atque, vt Scholastici loquuntur expli-*

explicita Christi notitia, *non de obscura*, *ænigmatica*, *& figuris inuoluta*, probatque ex alijs locis viri sanctissimi hanc fuisse ipsius mentem: deprauant nempe aduersarij nonnulla loca sanctorum Patrum, quodque illi dixerunt non necessariam fuisse explicitam notitiam Christi ad salutem ęternam consequendam, hoc trahunt eò ac si dixissent non fuisse necessariam gratiam Christi ad eundem finem. Hæc enim valdè differunt. Gratia namque omnibus, qui seruari volunt, necessaria est, & necessaria fuit ijs, qui vixerunt ante aduentum Christi, at non item ijsdem necessaria fuit notitia explicita Christi, vt constat ex plurimis locis eorundem sanctorum Patrum. Quod autem Herculem, Numam Pompilium in cœlo collocat Zuinglius refutatur, etiam ex eo, quod illi Idololatræ fuerunt, neque quicquam de ipsorum pœnitentia constat. Itaq; D. Chrysost. ait, vt adducitur à Casaub. homil. 28. in Matth. *Fruentur*, inquit, *omnibus vitæ æternæ bonis*, *etiam illi*, *qui Christum ante ipsius incarnationem non norunt* (explicitè nempè) *sed ab Idololatria se abstinuerunt*.

hæc Chrysostomus.

Caluiniſtæ oppugnant libertatem arbitrij, cum Manichæis. Cap. LIX.

COntendebant Manichæi peccata nnn poſſe vllo modo vitari; proficiſci ea namque ex mala mente. Duas in homine dicebant eſſe mentes, vnam quam aſſerebant eſſe malam, & à malo principio, eam, quam nos vocamus concupiſcentiam carnis. Alteram verò aiebant eſſe bonam, quam nos appellamus animam rationalem; peccata, quę in homine fiunt, à mala anima procedere, & ea non poſſe per liberum arbitrium impediri. Borboritæ aiebant Deum quoſdam ſelectos creare, ita ſibi acceptos, vt licet omnis generis peccatorum ſordibus inuoluerentur, nunquam tamen exciderent gratia, quinimò diuina beneuolentia ſemper eos amplecti in quocunque ſtatu peccatorum. Conabantur ſuum paradoxum explicare ſimilitudine quadam ſumpta ab auro. Aurum enim, aiebant, idem ſemper eſt, eodem colore pręditum, eiuſdem valoris, & pręſtantię, ſiue in capſula aliqua munda aſſeruetur, ſiue cœno, & luto inuoluatur. Eodem modo ſe habere paucos illos ſelectos à Deo. A

præ-

prędicta autem similitudine de cœno inuoluente aurum vocati sunt Borboritę, βόρβορος nanque cœnum est. Profectò si verum fateri volunt Caluinistę, non negent necesse est se sentire cum Manichęis, & Borboritis, dum docent penes homines non esse peccata vitare, adigi eos ad male agendum, imposita ipsis cœlitus necessitate, cui resisti non possit, quicquid operis ab ipsis proficiscatur, hoc debere transcribi voluntati diuinę, quasi quę impellat creaturam ad scelera. electis & prędestinatis non obesse peccata, eos antequam nascantur ita esse constitutos, vt quæcunque demum perpetrauerint etiam enormia crimina aduersus legē Dei, perseuerent tamen semper in Dei beneuolentia, & charitate. Hęc & alia, quę passim leguntur in scriptis rigidorum Caluinistarum ita offenderunt Remonstrantes, siue Molliores in Hollandia, quorum antesignanus fuit Arminius, vt palam eos postulent Manichęismi, & Borborismi, damnentque grauissimę in Deum optimum blasphemię. Facit hoc P. Bertius in suis libris aduersus Gommaristas, qui tandem animaduersis tot grauissimis sociorum suorum erroribus transiuit ad Catholicos. Hæc recitaui, vt viderent rigidi asseclæ Caluini se, dum impugnant libertatem arbitrij hu-

mani, asseruntque hominem semel iustificatum numquam posse excidere gratia Dei dissentire à veteri Ecclesia,& ab ea tanquam hęreticos in Manichęis, & Borboritis fuisse damnatos.

De causa peccati ex homilia D.Basilij. Cap. LX.

QVàm periculosè, imò impiè loquantur Aduersarij, vbi agunt de Dei prouidentia, & causa peccati alibi indicaui, & tum notum est, vt non opus sit verba ipsorum prolixè adducere. Cæterum non desunt inter ipsos, quibus doctrina illa magnopere improbatur, multis de causis, è quibus magni momenti est illa, quod huiusmodi doctrina Caluini repugnat sensui Antiquorum Ecclesiæ Doctorum. Remittunt igitur nos quidam ex Aduersarijs ad Veteres scriptores. Dan. Heinsius notis in Maximum Tyrium p. 107. postquam nonnulla obseruauit ad celeberrimam quæstionem philosophorum, qua disputant, cum Deus bona operetur, vnde nam sint mala, censet videndam Magni Basilij Homiliam, *Quod Deus non est causa malorum*. In qua quidem disputatione ita versatur vt causam pecca-

ti

ti non Dei voluntati, vt faciunt rigidiores Caluiniani, seu libero hominis arbitrio adscribat. *Principium*, inquit, *namque ac radix peccati, in nobis, & in nostra potestate, quibus si à malo abstinuissemus, nihil omninò graue pati licebat, &c. Malum itaque natura ex nobis oritur iniustitia, impetus, inconsiderantia, timiditas, inuidia, cædes, veneficia, astutia, fallacia, & reliqua omnia, quæ animam ad Dei imaginem factam sunt apta inquinare, & ipsius pulchritudinem aliquo modo inficere*. ibidem addit: *Sic item Ciuitatum interitus ex nimia peccantium peruersitate originem habentes Deum ab omni querelæ causa soluunt*. Abutuntur Caluinistæ verbis D. Pauli Rom. 9. vbi ait, Deum præparare quædam vasa in interitum, inferuntq. Deum creare hominem ad perditionem, & eum ipsum impellere ad peccandum. At D. Basilius ita exponit locum illum vt nihil faciat ad stabiliendum sensum Caluinistarum. *Vbicunque*, inquit, *audiueris vasa intellige quod nostrum quilibet ad aliquem factus est vsum. Quemadmodum in magna domo vas est aureum, argenteum, testaceum, ligneum; huiuscemodi ergo materiæ electio cuiusque cõparatur, etiam vas aureum is est, qui mente, moribusq. simplex, ac sine dolo est. Argenteum item non diuersis mul-*

tum ab illo ſententia, moribusq. fuerit. Teſtaceum ac figulinum, qui terreſtria ſapit, & frangi, conteriq. ſit aptus. Ligneum qui per peccatum facilè ſordet, & igni externo materiam præbet: Sic Deus omnipotens, iræ vas veluti ſordidum ſeparat, & ob inhærentem ex corruptione fœtorem vſibus adhibere minimè valens, vt inutile, & interitu dignum abolet. Ecce quod aliquis ſit vas iræ, & perditioni deputetur, adſcribit cauſam S. Baſilius non Deo, ſed homini ſponte ruenti per peccatum in interitum. Ex obduratione cordis, cuius meminit Scriptura, etiam praua quædam in ſuam ſententiam colligunt ijdem hæretici. Sed de ea aliter loquitur S. Baſilius eadem homilia: *Obdurauit*, inquit, *Deus Pharaonem longanimitate, ac pœnæ dilatione ipſius ferens vitium, vt ad extremum eius iniquitate ad ſummum gliſcente iuſtius ſuper eum Dei iudicium oſtenderetur*. Et paulò poſt infert; *Parce diuinam incuſare prouidentiam, nec Deum mali auctorem dixeris*.

Diui-

Diuina prædeſtinatio non tollit libertatem humanæ voluntatis.

Cap. LXI.

NEſciunt Caluiniani preſcientiam Dei, & prædeſtinationem, ſiue præordinationem cum libertate voluntatis humanæ conciliare, hinc adeò fit, vt contra quam Ciceroni euenit, dum illam adſtruere, & tueri ſatagunt, hanc imprudentes euertant, quod ipſis non contingeret, ſi veteres Scriptores Eccleſiæ hac in re conſulere, cumque ijs ſentire vellent. Ita verò illi quæſtionem tractant, vt neque præſcientiam Dei, quam Græci προορισμὸν, & πρόγνωσιν vocant, neque liberum arbitrium hominis tollant. De S. Auguſtini ſententia ſcribit Daniel Heinſius notis ad Maximum Tyrium p. 32. *Hanc quæſtionem*, inquit, *nobiliſſimam lib. de Ciuitate Dei cap. 9. tractauit D. Auguſtinus, qui ita concludit: Quapropter & voluntates noſtræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præſciuit; & ideò quicquid valent, certiſſimè valent, & quod facturæ ſunt, ipſæ omninò facturæ ſunt, quia valituras, atque facturas ille præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt.*

Verbo

Verbo, Iuſtificari, quid ſignificetur in Scripturis. Cap. LXII.

VErbo, Iuſtificari, duas ſolùm ſignificationes ex Scripturis aſſignant hæretici, vt ſternant,& parent ſibi viam ad primarium, & grauiſſimum errorem de Iuſtificatione hominis. Primum aiunt iuſtificare verbo illo ſignificari eſſe idem ac iuſtum cenſere. Secundò Iuſtum declarare. Ex huiuſmodi ſignificatu dictum illud D. Pauli Rom. 3. quo pronuntiat Deum iuſtificare impium, ita explicant, vt dicant D. Paulum voluiſſe docere Deum, etſi probè videat hominis alicuius impietatem, impuritatem, etſi eum norit omnibus vitijs inuolutum, nihilominus non alio loco quàm ſancti, puri, iuſti, & ab omni vitio & peccato alieni habere, talemq. pronunciare, & declarare dignum amicitia ſua, & perpetua gloria. Secundum ſignificatum aſciuerunt verbo Iuſtificare, vt ſcilicet eò facilius negare poſſent hominem iuſtificari bonis operibus, quod tamen diſertis verbis affirmat S. Iacobus cap. 2. dum ait: *Videtis igitur hominem iuſtificari operibus, & non tantùm fide*, quod ipſi exponunt de manifeſtatione iuſtitiæ, quæ fiat per bona opera.

Negant

Negant autem mordicus significationem Catholicam, qua verbum Iustificare, idem est ac iustum facere, vt dicatur Deus iustificare impium, ex impio, & iniusto, pium & iustum facere. Caussantur hæretici eiusmodi significatum non posse admitti, cum nuspiam ex probatis linguæ latinæ authoribus, Cicerone nempe, Terentio, Sallustio, alijsq. confirmari possit. Quasi verò eò adigantur angustiarum Theologi, vt verborum sacrorum, & ecclesiasticorum germanam vim debeant metiri profanis scriptis Gentilium, qui de diuina iustificatione nihil planè norant. Adeundi nobis potius sunt Scriptores Ecclesię, & rerum Theologicarũ antiqui tractatores, quorũ scripta cum consuluerint ipsi Nouatores super huiusmodi significatu, dicant sanè ipsi, quis fuerit tantorum virorum sensus. M. Chemnitius igitur in p.5. Examinis sic loquitur: *Non mouemus litem quomodo Iustificationem accipiant Patres.* Non vult mouere litem, quia satis nouit Patres longè aliter explicasse verbum iustificare quam ipse faciat cum suis Nouatoribus. paulò post ita scribit: *Non ignoro Patres aliter loqui.* Idem audacter inuehitur in sacrosanctos Magistros, quia scilicet noluerunt verbum, Iustificare, Lutheranum in morem explicare: *Patres*

inqui-

confirmandum adducit testimonia S. Augustini p. 3. *Credendum sanè*, inquit Casaub. *etiam ante natum è B. Virgine Dominum, alios quoque salutis factos esse participes, paucos qui vel apparent in scripturis, vel in genere humano latent, vt ait B. Augustinus in epistola 99. ad Euodium Episcopum, sed illud quoque simul credendum, neminem vlla vnquam ætate ad spiritualem Ierusalem pertinuisse, nisi cui diuinitus reuelatus fuerit vnus Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, qui venturus in carne, sic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ait idem Augustinus de Ciuit. Dei lib. 8. cap. 47. & in epist. 28. ad Hieronymum verba illius sunt: Certus sum non esse animam vllam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem mediator Dei & hominum homo Iesus Christus.* Quia verò Nouatores quidam ad paradoxum Zuinglij tuendum abutuntur nonnullis locis D. Chrysostomi, cum summa iniuria illi affingentes tam absurdam sententiam; S. Doctoris verba vindicat Casaubonus. *At qui*, inquit, *Chrysostomus cum ita loquebatur* (quando scilicet aiebat ante aduentũ Christi etiam sine confessione Christi potuisse aliquem seruari) *loquebatur de clara & perspicua, atque, vt Scholastici loquuntur expli-*

explicita Christi notitia , non de obscura , ænigmatica , & figuris inuoluta , probatque ex alijs locis viri sanctissimi hanc fuisse ipsius mentem : deprauant nempe aduersarij nonnulla loca sanctorum Patrum , quodque illi dixerunt non necessariam fuisse explicitam notitiam Christi ad salutem ęternam consequendam,hoc trahunt eò ac si dixissent non fuisse necessariam gratiam Christi ad eundem finem. Hæc enim valdè differunt . Gratia namque omnibus, qui seruari volunt, necessaria est , & necessaria fuit ijs , qui vixerunt ante aduentum Christi , at non item ijsdem necessaria fuit notitia explicita Christi , vt constat ex plurimis locis eorundem sanctorum Patrum . Quod autem Herculem , Numam Pompilium in cœlo collocat Zuinglius refutatur,etiam ex eo,quod illi Idololatræ fuerunt , neque quicquam de ipsorum pœnitentia constat . Itaq; D.Chrysost. ait,vt adducitur à Casaub.homil. 28. in Matth. *Fruentur* , inquit , *omnibus vitæ æternæ bonis , etiam illi, qui Christum ante ipsius incarnationem non norunt* (explicitè nempè) *sed ab Idololatria se abstinuerunt* . hæc Chrysostomus.

Caluiniſtæ oppugnant libertatem arbitrij, cum Manichæis. Cap. LIX.

COntendebant Manichæi peccata nnn poſſe vllo modo vitari; proficiſci ea namque ex mala mente. Duas in homine dicebant eſſe mentes, vnam quam aſſerebant eſſe malam, & à malo principio, eam, quam nos vocamus concupiſcentiam carnis. Alteram verò aiebant eſſe bonam, quam nos appellamus animam rationalem; peccata, quę in homine fiunt, à mala anima procedere, & ea non poſſe per liberum arbitrium impediri. Borboritæ aiebant Deum quoſdam ſelectos creare, ita ſibi acceptos, vt licet omnis generis peccatorum ſordibus inuoluerentur, nunquam tamen exciderent gratia, quinimò diuina beneuolentia ſemper eos amplecti in quocunque ſtatu peccatorum. Conabantur ſuum paradoxum explicare ſimilitudine quadam ſumpta ab auro. Aurum enim, aiebant, idem ſemper eſt, eodem colore prẹditum, eiuſdem valoris, & prẹſtantię, ſiue in capſula aliqua munda aſſeruetur, ſiue cœno, & luto inuoluatur. Eodem modo ſe habere paucos illos ſelectos à Deo. A

præ-

prędicta autem similitudine de cœno inuoluente aurum vocati sunt Borboritę, βόρβορος nanque cœnum est. Profectò si verum fateri volunt Caluinistę, non negent necesse est se sentire cum Manichęis, & Borboritis, dum docent penes homines non esse peccata vitare, adigi eos ad male agendum, imposita ipsis cœlitus necessitate, cui resisti non possit, quicquid operis ab ipsis proficiscatur, hoc debere transcribi voluntati diuinę, quasi quę impellat creaturam ad scelera. electis & prędestinatis non obesse peccata, eos antequam nascantur ita esse constitutos, vt quæcunque demum perpetrauerint etiam enormia crimina aduersus legē Dei, perseuerent tamen semper in Dei beneuolentia, & charitate. Hęc & alia, quę passim leguntur in scriptis rigidorum Caluinistarum ita offenderunt Remonstrantes, siue Molliores in Hollandia, quorum antesignanus fuit Arminius; vt palam eos postulent Manichęismi, & Borborismi, damnentque grauissimę in Deum optimum blasphemię. Facit hoc P. Bertius in suis libris aduersus Gommaristas, qui tandem animaduersis tot grauissimis sociorum suorum erroribus transiuit ad Catholicos. Hæc recitaui, vt viderent rigidi asseclæ Caluini se, dum impugnant libertatem arbitrij humani,

mani, asseruntque hominem semel iustificatum numquam posse excidere gratia Dei dissentire à veteri Ecclesia,& ab ea tanquam hęreticos in Manichęis, & Borboritis fuisse damnatos.

De causa peccati ex homilia D.Basilij. Cap. LX.

QVàm periculosè, imò impiè loquantur Aduersarij, vbi agunt de Dei prouidentia, & causa peccati alibi indicaui, & tum notum est, vt non opus sit verba ipsorum prolixè adducere. Cæterum non desunt inter ipsos, quibus doctrina illa magnopere improbatur, multis de causis, è quibus magni momenti est illa, quod huiusmodi doctrina Caluini repugnat sensui Antiquorum Ecclesiæ Doctorum. Remittunt igitur nos quidam ex Aduersarijs ad Veteres scriptores. Dan. Heinsius notis in Maximum Tyrium p. 107. postquam nonnulla obseruauit ad celeberrimam quæstionem philosophorum, qua disputant, cum Deus bona operetur, vnde nam sint mala, censet videndam Magni Basilij Homiliam, *Quod Deus non est causa malorum*. In qua quidem disputatione ita versatur vt causam peccati

ti non Dei voluntati, vt faciunt rigidiores Caluiniani, seu libero hominis arbitrio adscribat. *Principium*, inquit, *namque ac radix peccati, in nobis, & in nostra potestate, quibus si à malo abstinuissemus, nihil omninò graue pati licebat, &c. Malum itaque natura ex nobis oritur iniustitia, impetus, inconsiderantia, timiditas, inuidia, cædes, veneficia, astutia, fallacia, & reliqua omnia, quæ animam ad Dei imaginem factam sunt apta inquinare, & ipsius pulchritudinem aliquo modo inficere*. ibidem addit: *Sit item Ciuitatum interitus ex nimia peccantium peruersitate originem habentes Deum ab omni querelæ causa soluunt*. Abutuntur Caluinistæ verbis D. Pauli Rom. 9. vbi ait, Deum præparare quædam vasa in interitum, inferuntq. Deum creare hominem ad perditionem, & eum ipsum impellere ad peccandum. At D. Basilius ita exponit locum illum vt nihil faciat ad stabiliendum sensum Caluinistarum. *Vbicunque*, inquit, *audiueris vasa intellige quod nostrum quilibet ad aliquem factus est vsum. Quemadmodum in magna domo vas est aureum, argenteum, testaceum, ligneum; huiuscemodi ergo materiæ electio cuiusque cõparatur, etiam vas aureum is est, qui mente, moribusq. simplex, ac sine dolo est. Argenteum item non diuersis mul-*

tum ab illo ſententia, moribusq. fuerit. Teſtaceum ac figulinum, qui terreſtria ſapit, & frangi, conteriq. ſit aptus. Ligneum qui per peccatum facilè ſordet, & igni externo materiam præbet: Sic Deus omnipotens, iræ vas veluti ſordidum ſeparat, & ob inhærentem ex corruptione fœtorem vſibus adhibere minimè valens, vt inutile, & interitu dignum abolet. Ecce quod aliquis ſit vas iræ, & perditioni deputetur, adſcribit cauſam S. Baſilius non Deo, ſed homini ſponte ruenti per peccatum in interitum. Ex obduratione cordis, cuius meminit Scriptura, etiam praua quædam in ſuam ſententiam colligunt ijdem hæretici. Sed de ea aliter loquitur S. Baſilius eadem homilia: *Obdurauit*, inquit, *Deus Pharaonem longanimitate, ac pœnæ dilatione ipſius ferens vitium, vt ad extremum eius iniquitate vd ſummum gliſcente iuſtius ſuper eum Dei iudicium oſtenderetur*. Et paulò poſt infert; *Parce diuinam incuſare prouidentiam, nec Deum mali auctorem dixeris.*

Diui-

Diuina prædestinatio non tollit libertatem humanæ voluntatis. Cap. LXI.

NEsciunt Caluiniani prescientiam Dei, & prædestinationem, siue præordinationem cum libertate voluntatis humanæ conciliare, hinc adeò fit, vt contra quam Ciceroni euenit, dum illam adstruere, & tueri satagunt, hanc imprudentes euertant, quod ipsis non contingeret, si veteres Scriptores Ecclesiæ hac in re consulere, cumque ijs sentire vellent. Ita verò illi quæstionem tractant, vt neque præscientiam Dei, quam Græci προορισμὸν, & πρόγνωσιν vocant, neque liberum arbitrium hominis tollant. De S. Augustini sententia scribit Daniel Heinsius notis ad Maximum Tyrium p. 32. *Hanc quæstionem*, inquit, *nobilissimam lib. de Ciuitate Dei cap. 9. tractauit D. Augustinus, qui ita concludit: Quapropter & voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præsciuit; & ideò quicquid valent, certissimè valent, & quod facturæ sunt, ipsæ omninò facturæ sunt, quia valituras, atque facturas ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest.*

Verbo

Verbo, Iustificari, quid significetur in Scripturis. Cap. LXII.

VErbo, Iustificari, duas solùm significationes ex Scripturis assignant hæretici, vt sternant, & parent sibi viam ad primarium, & grauissimum errorem de Iustificatione hominis. Primum aiunt iustificare verbo illo significari esse idem ac iustum censere. Secundò Iustum declarare. Ex huiusmodi significatu dictum illud D. Pauli Rom. 3. quo pronuntiat Deum iustificare impium, ita explicant, vt dicant D. Paulum voluisse docere Deum, etsi probè videat hominis alicuius impietatem, impuritatem, etsi eum norit omnibus vitijs inuolutum, nihilominus non alio loco quàm sancti, puri, iusti, & ab omni vitio & peccato alieni habere, talemq. pronunciare, & declarare dignum amicitia sua, & perpetua gloria. Secundum significatum asciuerunt verbo Iustificare, vt scilicet eò facilius negare possent hominem iustificari bonis operibus, quod tamen disertis verbis affirmat S. Iacobus cap. 2. dum ait: *Videtis igitur hominem iustificari operibus, & non tantùm fide*, quod ipsi exponunt de manifestatione iustitiæ, quæ fiat per bona opera.

Negant

Negant autem mordicus ſignificationem Catholicam, qua verbum Iuſtificare, idem eſt ac iuſtum facere, vt dicatur Deus iuſtificare impium, ex impio, & iniuſto, pium & iuſtum facere. Cauſſantur hæretici eiuſmodi ſignificatum non poſſe admitti, cum nuſpiam ex probatis linguæ latinæ authoribus, Cicerone nempe, Terentio, Salluſtio, alijsq. confirmari poſſit. Quaſi verò eò adigantur anguſtiarum Theologi, vt verborum ſacrorum, & eccleſiaſticorum germanam vim debeant metiri profanis ſcriptis Gentilium, qui de diuina iuſtificatione nihil planè norant. Adeundi nobis potius ſunt Scriptores Eccleſię, & rerum Theologicarũ antiqui tractatores, quorũ ſcripta cum conſuluerint ipſi Nouatores ſuper huiuſmodi ſignificatu, dicant ſanè ipſi, quis fuerit tantorum virorum ſenſus. M. Chemnitius igitur in p.5. Examinis ſic loquitur: *Non mouemus litem quomodo Iuſtificationem accipiant Patres*. Non vult mouere litem, quia ſatis nouit Patres longè aliter explicaſſe verbum iuſtificare quam ipſe faciat cum ſuis Nouatoribus. paulò poſt ita ſcribit: *Non ignoro Patres aliter loqui*. Idem audacter inuehitur in ſacroſanctos Magiſtros, quia ſcilicet noluerunt verbum, Iuſtificare, Lutheranum in morem explicare: *Patres*, inquit,

inquit, *discesserunt à propria, Euangelica, & Apostolica significatione vocabulorum, per quæ Spiritus Sanctus doctrinam huius loci* (de Iustificatione peccatoris) *in Scriptura patefecit, vt sunt Iustificatio, iustitia, iustus*. Hoc maledicus homo effutit in sanctos authores, quia videt ab ipsis non ita explicata testimonia Scripturę de Iustificatione, vt ea cœpit ante cẽtum annos interpretari Lutherus. Cæterùm, vt hoc obiter dicam, operam perdunt hęretici, dum magno labore, & longo ordine corrodunt ex Scripturis omnia loca, quibus Hebręorum hizdik reperitur, vt euincant esse verbum forense, & idem esse ac iustum declarare; vtvt enim accipiatur multis in locis eo sensu, non tamen illinc quis collegerit semper ita accipiendum: Nam si vel vnus locus afferatur ex Scripturis, in quo eo sensu ponatur verbum, quo id accipimus nos Catholici, actum fuerit. de magna illa rapsodia Aduersariorũ. Locum verò vnicum adscribam ex Apocalypsi c. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*, vbi clarissima est significatio, & nimis facilè obuia, pro iustum fieri. Quod vsque adeò est manifestum, vt hęretici volentes nolentes id fateantur.

FINIS.





R O M AE, Typis Francifci Corbelletti.
M D C X X V I.

S V P E R I O R V M P E R M I S S V.